De

SIMILITUDINIBUS IMAGINIBUSQUE APUD VETERES POETAS ELEGIACOS

Dissertatio

inauguralis philologica

quam

amplissimi philosophorum ordinis

consensu et auctoritate

in

Academia Georgia Augusta

ad

summos in philosophia honores

rite capessendos

scripsit

Carolus Hermannus Müller

Rastattensis.

Bremis MDCCCLXXXVII.

Typis Caroli Schünemanni.

Constantius Gundu.

Matris Manibus
Sacrum.

Doctrina, quam de artis poeticae rationibus in tertia alterius libri epistula profert Horatius, neque eam modo ob causam in lucem a poeta edita est, ut Pisones doceret, quomodo carmina pangerent, neque ei propria et peculiaris est. Per singulas enim partes a Graecis exemplaribus petita, norma est atque regula, quam omnes poetae, qui hac aetate Romae florent, summa fide sequuntur. Qui omnes ingenuam et romanam artem creare ne conati quidem sunt: cum Graeci poetae iis in summum fastigium evecti esse viderentur, super quod escendi non posset, in eo summum studium omnemque operam posuerunt, ut — Aeolicum hic, ille Allexandrinum — carmen ad Italos deducerent modos itaque sui populi facerent opera, quibus pulcriora fingere mortales non possent. Quare in omnibus quaestionibus, quae latinos spectant poëtas, etiam graecorum exemplarium ratio habenda et a viris doctis plerumque habita est. Alterum autem, quod supra dixi, eandem normam atque regulam eos poetas, de quibus agimus, sequi, et alias et in ea parte, quam nobis tractandam sumpsimus, plane neglectum est. Cum enim de similitudinibus apud poetas latinos viri docti haud raro scripserint, ita semper rem instituerunt, ut sibi proponerent, ex unius poetae carminibus ea conquirere, quae cum antiquiorum poetarum similitudinibus concinere viderentur. At poetas, qui ceteroquin, quasi secta vel collegium easdem leges secuti sunt, etiam de similitudinibus fingendis adhibendisque idem sensisse, necesse est. Itaque spero, fore, ut haud supervacaneam videar quaestionem instituisse de similitudinibus apud Romanorum poetas elegiacos, Tibullum, Propertium, Ovidium, quibus, quo iustiorem redderem imaginem, addidi Catullum, Vergilium et Horatium, quamquam huius quidem satiras epistolasque omisi: sunt enim ab eo genere poesis alienae, quod mihi tractandum proposui. Graecos vero poetas, quos cum his componerem, mihi elegi Homerum, ex quo omnis pendet veterum ars poetica, Callimachum, Theocritum, Bionem, Moschum, poetas, quorum reliquiae Bergkii anthologia lyrica continentur: Pindarum poetasque tragicos non nisi rarissime assumpsi. Cum ita opus meum circumscriberem, exclusi ex eius circuitu propriam fontium investigationem, quae dicitur: etenim ea uno artis poeticae genere

contininenda non esset. Neque credo, si de fontibus agitur, e quibus poetae nostri hauserint, unum modo iis fontem praesto fuisse, carmina aliorum. Licet enim imitentur Graecos, tamen et ipsi sunt poetae. Horti vero unico fonte rigati, quam celeriter exarescant, poetae posterioris aetatis satis demonstrant, qui re vera non nisi per vestigia priorum proficiscuntur. Iis autem poetis, quibuscum nunc nobis res est, praeter illum duo etiam fontes ac perennes quidem fluxerunt, alter Platonis „furor divinus“, alter sermo popularis, neque is contemnendus, immo tanti momenti, ut, si ei aliquid tribuamus, haud raro facillime explicetur, quomodo factum sit, ut plures poetae eandem proferant sententiam.

His expositis iam ad ipsas similitudines pertractandas accederem, nisi haud alienum a proposito nostro putarem, duas antea quaestiones sub examen vocare, alteram, num recte Aristoteles dixerit, similitudinem metaphorae esse subiciendam, alteram, quidnam sibi voluerint poetae comparationibus in carmina inserendis, quas quaestiones a viris doctis iusto magis neglectas esse censeo.

Etenim, ut illam quaestionem prius absolvamus, quod in multa alia, etiam in similitudines cadit, plerosque in ea, quae de hac re protulerit Aristoteles, iurare, ut in verba magistri, nec unquam argumenta eius ad obrussam exigere. Quod ni ita esset, iam vidissent, quod eum, qui accuratius scripta docti hominis perscrutatur, fugere non potest, ad id, quod praeclare vidit Aristoteles, *εἰκόνας κατὰ τὸ ἀνάλογον* formatas esse, non quadrare quae leguntur rhet III. 4. *ἔστι δὲ καὶ ἡ εἰκὼν μεταφορά.* Nemo, quantum ego scio, hoc loco offendit praeter Dahlgrenum, qui in dissertatione, quam scripsit de Aeschyli metaphoris et similitudinibus a re navali deductis [1]) improbat, Aristotelem confusione, quam in tam acuto viro non expectemus, similitudinem sub metaphoram, ut partem sub genus subiecisse. Recte ita iudicasse Dahlgrenum, haud difficile est monstratu. Cum enim illud *κατὰ τὸ ἀνάλογον* nihil aliud significare possit, nisi eam esse naturam imaginum, ut proportionum ritu formentur, proportionis autem quattuor sint partes $a : b = c : d$ vel si duas vis inter se congruere $a : b = c : b$ [2]) metaphorae autem non nisi duae sint partes $a : b$ vel $c : d$, sequitur ut metaphorae non sit pars similitudo, immo similitudinis pars sit metaphora, qua uti omnino non possemus, nisi in animo totam formaremus proportionem. Contendat quis,

[1]) Upsal 1875.

[2]) hac enim forma utendum est, cum altera $a : b = b : c$ non ad similitudines, sed ad gradationes pertinet.

metaphoram a primis humani sermonis initiis usitatam fuisse. Non is sum, hoc qui neget, sed in ea ipsa re novum atque validum meae sententiae argumentum inesse dico. Etenim istis temporibus haud ita magna verborum copia hominibus praesto erat, qui cotidie ignota animalia, res incompertas offenderunt. Quid mirum si non propriis appellationibus omnia notaverunt, sed, cum viderent inesse rebus novis similitudinem quandam cum notis, tacita comparatione facta harum nomina illis metaphorice imposuerunt. **Tacita autem comparatio metaphorae usum praecessit, cum metaphoram nudam animo fingere nemo possit.** Id enim, opinor, nemo mihi non concedet, si de hac re quaeritur, semovendas esse eas metaphoras, quae nobis quasi in sucum et sanguinem abierunt itaque sermoni nostro immixtae sunt, ut, qui iis utantur, rarissime sentiant, metaphorice se loqui. His igitur missis, tenendum est, metaphoras eloqui non posse, nisi qui antea animo finxerit iustas comparationes. Quod si statutum est, efficitur, enuntiatam quoque comparationem aetate minorem esse non posse, quam metaphoram. Nimirum non loquor de artificiosioribus comparationum structuris, quarum splendore *versus, quos olim Fauni vatesque canebant*, nondum fulsisse, vix cui dubium erit Sed inter tot varias similitudinum formas una reperitur, quae singulas proportionis partes non inter se coniungit particulis, sed asyndetice iuxta ponit, ex quo satis elucet, eam formam non a poetis esse inventam, neque a rhetoribus, quorum gustus excultior abhorrebat a tanta simplicitate, sed ab hominibus rusticis et qui vix, quae cogitarent et sentirent, paucis verbis exprimere possent. Hanc formam quippe omni arte carentem Aristoteles metaphoram a comparatione distinguens plane neglexit, ut ipsa eius verba satis demonstrant. Sic enim est rhet. III 4: *ἔστι δὲ καὶ ἡ εἰκὼν μεταφορά. διαφέρει γὰρ μικρόν· ὅταν μὲν γὰρ εἴπῃ τὸν Ἀχιλλέα „ὡς δὲ λέων ἐπόρουσεν“, εἰκών ἐστιν, ὅταν δὲ „λέων ἐπόρουσεν“ μεταφορά.* Qui haec scribere potuit, nisi discrimen, quod intercedit inter metaphoram et comparationem, in particula aut posita aut omissa versari putasset? Formam igitur asyndeticam, quam breviter nobis vocare liceat, out omisit, aut falso in metaphorarum numero habuit. Falso, dico. Nam, quae comparationem iustam reddunt, quatuor proportionis partes adsunt: abest modo particula. Et ad nostram usque aetatem viri docti hanc formam aut neglexerunt aut — quasi unam de multis — obiter modo tetigerunt, ut Caspersius in libello, quem scripsit de comparationibus Vergilianis[3]). Attamen

---

[3]) Hagenau 1883.

hic quidem in eo offendere debuereat, quod Vergilius eiusque exemplar Theocritus, qui omnia poeticae artificia elegantissime exercent, tam simplici forma uti dedignati non sunt. Credisne, eos aliquid secutos esse? Vulgaris erat illa forma et in carminibus popularibus saepissime reperta, quam cum adhiberent, verae vitae specie carmina pastorum suorum ornare studuerunt. Ex hac igitur veterrima forma me quidem iudice originem duxit metaphora, quae, ut verbis Quintiliani (VIII. b, 89) dicam, *in totum brevior est similitudo*, ex hac magnus earum formarum numerus ortus est, quibus, prout sollertes erant, multis vel paucioribus poetae imagines suas prosecuti sunt. Sed cum harum formarum fixae non sint regulae neque singulae singulis modo poetis formae usurpatae, mitto eas et id modo commemoro, quae apud Catullum inveniuntur formae 17, 18, 64, 269, 68, 63, 107 — possem etiam ex aliorum poetarum carminibus similes afferre, si de eo ageretur — non excoluisse nec amplificasse comparationum formas, sed quasi testimonia aestimandas esse, quam prioris aetatis poetis laborandum fuerit in sermone fingendo, in posteriorum vero carminibus signa habendas esse neglectae orationis.

Sed age iam accedamus ad alteram, de qua pauca nos afferre posse putamus, quaestionem. Quem ad finem poetae carminibus suis inseruerunt similitudines? Quae cum subtilior quaestio sit et in qua vel cautissimus facile labi possit, indulgeamus Velseno, quod in dissertatione, quam singulari industria scripsit de comparationibus Homericis [4]), haecce proferat: „*Sed ad illa, quae enumeravimus, accedit alia quoque res, propter quam Homerus multo crebrius, quam ceteri poetae epici comparationibus usus esse videtur. Non legebantur enim antiquissimis temporibus carmina, sed audiebantur, quapropter inhiberi nonnunquam carminis flumen necesse erat, ut, qui aderant, dum nihil fere novi comparationibus afferebatur, iterum, quae poeta cecinerat, animis recognoscere possent. Qua de causa iis quoque, qui postea Homeri carmina canebant, non parvo fuerunt adminiculo, quia spatium dabant, quo quae sequebantur in mentem revocare possent.*“ Ut omnino mittam quae ad ῥαψῳδούς pertinent — cui enim unquam maior numerus versuum memoriter erat pronuntiandus, scit, ea nihili esse — quae de ipso Homero Velsenus dixit, quantum detrahunt de eius vi poetica! Comparationes, quas, ut flores viridi coronae, narrationi inseruit, quas omnibus artis coloribus pingere, quantae ei ipsi fuerit

[4]) Berol. 1848.

delectationi, facile apparet, comparationes, dico, quibus maxime elucet, quanta veritate Homerus usus sit in natura rerum describenda, eum haberent finem, ut, qui carmina recitata audierunt, suavissimis imaginibus neglectis secum reputarent, quae poeta antea cecinerat? Quod si revera animo proposuisset poeta, nonne putamus, futurum fuisse, ut audientes quasi fascinati imaginum pulcritudine has eius rationes penitus turbarent? In hoc igitur si lapsus est Velsenus, tamen haud negligendum est, quod primus, ni fallor, vidit, alias aliis poetis fuisse causas, cur similitudines adhiberent. Nam, ut accurate rem exsequamur, duobus e fontibus, si incunabula artis poeticae spectamus, hic fluxit usus, quorum alter largissimus est et omnibus notus, poetas imaginibus planius explicare studuisse, si quid proferrent, quod a vulgari scientia remotius esse crederent. Hoc ut perficerent, ad imagines fingendas elegerunt res, quae vulgo notae aut certe faciliores cognitu erant, quam quae comparationibus illustrare studuerunt. Bene Passowius hac de re disserens[5]: *„comparationes*, inquit, *res praeteritas ut dilucidiores reddant, cum iis conferunt, quae etiam nunc accidunt"* additque schol. Ven. *Il.* 364. *ὁ γὰρ Ὅμηρος ἀπὸ τῶν γινωσκομένων πᾶσι ποιεῖται τὰς ὁμοιώσεις.* Neque vero licuit ei aliunde, si revera id spectavit, — quod recte mihi Velsenus monstrasse videtur, *„ut eadem duabus pluribusve modis declarans, tamquam vivant ac moveantur, ante oculos ponat."* Quamquam, num id spectarit, non premo: effecit certe, ut res, de quibus agit, quasi nunc gererentur sub aspectum nostrum veniant. Quare est aliquid, quod apud Friedländerum inveni:[6]) *„Indem die Gleichnisse den Verlauf der Darstellung an solchen Punkten unterbrechen, wo sie zwar nicht unabweisbar gefordert werden, aber wo das Bedürfnis des Hörers auf ein Verteilen und Veranschaulichen der übermäfsig zudringenden Eindrücke des Stoffes hinweist, geben sie auf einrm Umwege gleichsam einen Ersatz für die dem Epos versagte Funktion der direkten Beschreibung".* Quamquam id tenendum est, comparationem modo „quasi" pro descriptionibus adhiberi, nam descriptionis vicem explere utique non potest. Sed ut iam pergamus, alterum fontem, quem viri docti adhuc non curaverunt, quamquam si veram rei rationem exigis, longe gravior habendus est, in eo inveni, quod homines, quorum animi nondum arte logica formati et ita instituti erant, ut nihil praeter propositum spectarent, quod ejus modi homines, si — dum de una re agunt — simile quid iis in

---

[5]) de comparationibus Homericis Berol. 18.

[6]) Beiträge zur Kenntnis der homerischen Gleichnisse. Berlin 1870.

mentem veniebat, orationi suae illud insererent. Sed fortasse quispiam dixerit, etiam veterum Germanorum vitam rudem fuisse et sine philosophiae doctrina, quos in comparationibus adhibendis castissimos fuisse constaret. Constat, si modo de carminibus epicis popularibus agitur.[7]) Ea enim est indoles animorum plebis nostrae, ut non in Graecorum modum accessionibus narrationis delectentur sed fabellis circumcisis et sine ambagibus ad finem perductis. At si lyrica quoque carmina in censum veniunt, quanta in iis imaginum copia redundet, vix dici potest. Neque probare possum, quae de Graecorum carminibus lyricis protulit Passowius, *„longe secus habere comparationes poetarum lyricorum, qui, cum rei gravitas ipsum poetae animum implere soleret, locum iis concederent multo inferiorem"*. Pindarus, ni fallor, et ipse poeta fuit lyricus, cuius in carminibus quam multae inveniantur comparationes imaginesque, virum doctum fugere non debuit. De ceterorum vero poetarum lyricorum dilaceratis fragmentis certum indicium in tam subtili quaestione proferri non potest, quamquam vel in his naufragiis numerus exstat similitudinum haud contemnendus. Sed iam ad instituta pergamus. Postea igitur, cum in dies diligentius ars poetica excoleretur, neque, ut antea, quae iis in mentem venirent, poetae proferrent, sed de arte dicendi iam solerent meditari, ista, quam antea gravissimam fuisse dixi causam, nihil iam valebat. Sed successit alia neque ea parvi aestimanda. Viderunt enim poetae, iucundum esse hominum animis, si non modo in una re spectanda tenerentur, sed imagines contemplando quasi devertentes relaxarentur, cum media in fabula alias audirent res neque tamen alienas a carminis materia ob ipsam, quae inter imaginem et rem quantulacunque intercederet, similitudinem. Et ita mihi quidem — licet aliter iudicarint poetae „romantici" qui vocantur — melius et aptius rem instituisse videntur atque medii aevi poetae dramatici ipseque Shakespearius, qui eandem ob causam comoediae personas induxerunt in tragoedias et duo diversissima artis poeticae genera contaminare studuerunt, negligentes Theognidis illud *οὔποθ' ὕδωρ καὶ πῦρ συμμίξεται*, cum veteres poetae digressionibus materiae suae consentientibus ita carmina exornarent, ut ratione sagaci et eleganti iudicio omnibus posterioribus sint auctores. Quod autem hi ratione fecerunt, quo magis ars poetica depravata est, eo insulsius imitati sunt posteriores, qui similitudinibus nullam aliam ob causam utuntur, quam quod carmina mirifice ornare cupiunt et delectantur verborum strepitu

[7]) quatuordecim modo comparationes habes in Nibelungis, viginti in Gudruna.

orationisque tumore. Itaque dummodo inveniant, quem ineptiis suis *„adsuant, purpureum, late qui splendat, pannum“*, num ad rem apta sit imago, non requirunt. Praeterea foedissimum in modum comparationes cumulant, quod iure castigat J. C. Ernestius.[8]) Sed quod exemplum huius luxuriei profert Ov. met. XIII. 789—807, errare mihi videtur vir doctus. Vix enim contendere velim, Ovidium, poetam ceteroquin prae ceteris lepidum tam insulsum hoc loco se praebuisse, ut in ipsa rustici Cyclopis oratione, ut Ernestius vult, artificiosissimum suae artis praestare opus studuerit: imo Philoxenum aliosque[9]) secutus lepido sale perstrinxit gigantem inepte inconditos versus proferentem. Hodierni poetae ineptias Polyphemi extollerent et verbis exasperarent, ab antiquo poeta id alienum erat — nec minus alienum ab antiquis lectoribus — qui satisfecisse sibi iure putavit, re leviter tantummodo adumbrata. Isti vero Ovidio posteriores poetae non solum sine ratione cumulaverunt imagines, sed etiam falso adhibuerunt, et in hac ipsa re adeo inferiores se praebuerunt melioris aevi poetis, ut una cum iis omnino tractari non possint. Licet enim, omnia, quae sunt in mundo, a poetis in imagines verti possint, tamen facile intellegitur, non ita bene omnia ad quasvis res illustrandas adhiberi, sed alteri consentanea esse, respuere alteram. Quod epigoni penitus neglexerunt. Quantum his praestat Vergilii ars, qui in imaginibus eligendis tanta erat diligentia, ut non solum singulas aptas poneret, sed etiam pro genere poetico simplices usurparet in eclogis nec non in Georgicis, grandes contra in Aeneide!

Quae postquam in universum disputavimus, singulas nunc poetarum elegiacorum comparationes adeamus tractandas. Et vix ubi ancoras solvimus, iam scopulus nobis imminet, quem plerique eorum, qui eundem cursum tenuerunt, offendisse mihi videntur. Quaeritur enim, quo modo materia sit digerenda.[10]) Quod ita

---

[8]) commentationes de elocutionis poetarum latinorum veterum luxuxie, acta. sem. reg. Lips. II.

[9]) Cyclopem ut illepidum poetam Bioni opponit auctor epit Bionis. 59. *οὐ γὰρ ἴσον Κύκλωπι μελίσδεο· τὸν μὲν ἔφευγεν ἁ καλὰ Γαλάτεια, σὲ δ᾽ ἅδιον ἔβλεπεν ἅλμας.* aliter vero auctor epithalamii Achillis, quintum decimum Bionis carmen quod falso ferebatur: *λῇς νύ τί μοι, Λυκίδα, Σικελὸν μέλος ἅδυ λιγαίνειν, ἱμερόεν, γλυκύθυμον, ἐρωτικόν, οἷον ὁ Κύκλωψ ἄεισεν Πολύφαμος ἐπ᾽ ἠόνι τᾷ Γαλατείᾳ;*

[10]) In qua re quotiens erratum sit, hic enumerare meum non puto, quod autem G. F. H. Coenen dissertationis, quam scripsit „de comparationibus et metaphoris apud Atticos praesertim poetas“ Trai. 1875 quinta parte agit de figuris „quae ad certum genus referri non possunt, nectamen in hac dissertatione negligi poterant“ cum omnibus doctrinae praeceptis foedissime mihi discrepare videtur.

optime absolvere mihi videor, si primum de diis agam, tum de mundi partibus, sideribus nempe, aëre, terra, aqua, post de hominibus. quam partem ita tractabimus, ut primum quaeramus, quid rationis intercedat inter homines, tum, quomodo homines utantur et animalibus et inanimatis.

Dii et sollemnia religionum. Pulcritudinem deorum sive potius dearum, ut imagines certas fabulas spectantes mittamus, quamquam iam Homerus in comparationibus habet — Θ 305: *καλὴ Καστιάνειρα δέμας εἰκυῖα θέῃσιν* —, apud poetas, de quibus hic agitur, non inveni nisi Ov, met. VI. 452.[11])

quales audire solemus
naidas aut dryadas mediis incedere silvis,
si modo des illis cultus similesque paratus.[12])

Sapph. 2. 1. *φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θέοισιν*
ἔμμεν ὤνηρ, ὅστις ἐναντίος τοι
ἰζάνει καὶ πλασίον ἆδυ φωνεύ
σας ὑπακούει

in linguam latinam vertit Catullus 51. 1.

ille mi par esse deo videtur
ille, si fas est, superare divos,
qui sedens adversus identidem te
spectat et audit.

sed non solum mutavit sententiam. — Sappho enim contendit, neminem aspectum puellae istius ferre posse, nisi qui divina quadam vi praeditus sit: Catullus contra delicias amantis, qui puellam suam intuetur, deorum beatitudini comparat — verum etiam altero versu e suis addito carmen quadratum corrupit magis quam exornavit. A sollemnibus religionum eas similitudines depromsit Ovidius, quae leguntur am I. 4. 27. *tange manu mensam, tangunt quo more precantes*“ et am III. 7. 21. sic *flammas aditura pias aeterna sacerdos surgit*“. Quae ad hostias pertinent, eas comparationes alio loco videbimus, nunc de iis dicendum est, quibus ad ingentem furorem illustrandum bacchae inducuntur. Exemplar fuit X 460 *μεγάροιο διέσσυτο μαινάδι ἴση*. Bacchas insane currentes habes: Hor. c. III. 15. 10 *pulso Thyias uti concita tympano.* Prop. IV 7. 14. *seu sequitur medias, Maenas ut icta, vias.* Verg. Aen. IV. 301. *bacchatur, qualis commotis excita sacris Thyias ubi audito*

[11]) Cum saepius una sententia plures imagines contineat, non eius versus, a quo sententia initium capiat, sed eius versus, a quo ipsa imago ordiatur, numerum ascripsi.

[12]) quos versus haud tam confidenter Ovidio abiudicarim, praesertim cum correctio illa, quae ultimo versui inest, nescio quid Ovidianum spiret.

stimulant trieterica Baccho orgia noctnrnusque vocat clamore Cithaeron, Ov. a. am. III. 710. *nec mora, per medias passis furibunda capillis evolat, ut thyrso concita Baccha, vias.* met. IX. 641. — quo loco aperte Vergilianum modo allatum expressit poeta — *utque tuo motae, proles Semeleia, thyrso Ismariae celebrant repetita triennia Baccho.* [her. 13. 33.[13]) *ut quas pampinea tetigisse Bicorniger hasta creditur, huc-illuc, quo furor egit eo.* Stuporem baccharum exhibent Propertius I. 3. 5. *nec minus assiduis Edonis fessa choreis qualis in herboso concidit Apidano.*

Horatius III. 25. 8. . . *non secus in iugis*
ex somnis[14]) *stupet Evias.*
Hebrum prospiciens et nive candidum
Thracen ac pede barbaro
lustratam Rhodopen.

Ovidius. trist. IV. 1. 41. *utque suum bacche non sentit saucia vulnus, dum stupet Edonis exulata iugis.* Restat ut commemoremus, inferos neminem eorum poetarum, quos hoc libro tractamus, ad comparationem adhibuisse, excepto Vergilio, qui huius generis imaginibus usus est Aen. VIII. 243.

et umbrosae penitus patuere cavernae:
non secus ac siqua penitus vi terra dehiscens
infernas reseret sedes et regna recludat
pallida, dis invisa, superque immane barathrum
cernatur, trepident immisso lumine manes.

X. 641. *gressumque effingit euntis, morte obita qualis fama est volitare figuras.*

Tempora anni si requirimus, quem locum teneant in comparationibus, inveniemus, rarissimum eorum usum fuisse. Unius veris dulcedo saepius laudatur: Theocr. 9. 34. *οὔτ᾽ ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον.* id. 12. 3. *ὅσσον ἔαρ χειμῶνος ἅδιον.* Alexand. Aet. in Apolline 7:

ἧς ἔτι νύμφης
ἠλάκατ᾽ ἐν θαλάμοις καλὸν ἑλισσομένης
᾿Ασσησοῦ βασιλῆος ἐλεύσεται ἔκγονος Ἄνθευς
ὅρκὶ ὁμηρείης πιστ᾽ ἀποδωσόμενος,
προθήβης, ἔαρος θαλερώτερος.

---

[13]) quamquam epistulas 12—20 spurias esse puto, tamen eas quoque brevitatis causa sub Ovidii nomine profero.

[14]) haec lenissima Vahleni mutatio quin vera quoque sit, equidem non dubito. Bentleium, ut *Edonis* coniiceret, analogia locorum Propertii et Ovidii, ni fallor, commovit. Ceterum videas, quae ad hunc locum Kisslingius in editione Horatii profert.

Hor. c. IV. 5. 6. *instar veris enim vultus ubi tuus*
affulsit populo, gratior it dies
et soles melius nitent

quae comparatio — pulcherrima, quia eà quoque, quae poeta adventu Augusti effici dicit, imagini consentanea sunt — in mentem nobis revocat, quomodo Clytaemnestra Aeschylea Agamemnonem salutet revertentem 900 (ed. Dind.) *κάλλιστον ἦμαρ εἰσιδεῖν ἐκ χείματος.* Denique, quamquam formam comparationis non habet, lepidum Asclepiadis epigramma (anth. Pal. V. 169) hic afferre mihi liceat:

ἡδὺ θέρους διψῶντι χιὼν ποτόν, ἥδιον αὐτῆς [15])
ἐκ χειμῶνος ἰδετν εἰαρινὸν στέφανον,
ἥδιστον δ' ὁπόταν κρύψῃ μία τοὺς φιλέοντας
χλαῖνα καὶ αἴνηται Κύπρις ὑπ' ἀμφοτέρων. [16])

Tempora diei a poetis paullo saepius in imagines collata sunt. Celer iter diei habes Tib. I. 4. 28 *quam cito non segnis stat remeatque dies,* crepuscula diei Ov. am. I. 5. 5. *qualia sublucent fugiente crepuscula Phoebo, aut ubi nox abiit nec tamen orta dies.* Quater aurora in similitudinibus est. Primum apud Theocritum, apud quem 18. 26 sic lego

Ἄους ἀντέλλοισα καλὸν διέφανε πρόσωπον
πότνια νύξ, ἅτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος.

Faciei rubenti aurora ab Ovidio comparatur am II. 5. 34. *quale coloratum Tithoni coniuge caelum subrubet.* met III. 184. *qui color infectis adversi solis ab ictu nubibus* [17]) *esse solet aut purpureae aurorae.* Alia est imago met VI. 47.

ut solet aer
purpureus fieri, cum primum aurora movetur,
et breve post tempus candescere solis ab ortu

---

[15]) nautae quid hic sibi velint equidum non video: dicit Asclepiades, post hiemem ver dulce esse. Omnibus, credo, hominibus. Nisi forte eam ob causam hic nautas induxit poeta, ut significet, quod adventus veris iis, cum per hiemem domi retenti sint, rursus navigationis potestatem faciat, ideo eos laetari. Hoc quam alienum sit ab antiquis nautis, exemplis demonstrandum non est. Accedit quod epigrammatis genus dicendi populare est (Wilamow. Herm. XIV. 166 ubi pro ἥδιον αὖτις ἥδιστον coniecit et Homerische untersuchungen p. 178 anm. 22) sermo autem popularis duobus positivis superlativum non opponit, sed aut omnino positivo utitur, aut plenam facit gradationem, qualem hic nos efficere studuimus.

[16]) saepius poetae nostri, Minnesaenger qui vocantur, veris dulcedinem ad imagines fingendas adhibent, ut Henricus de Morungen: mich fröit ir

nam hoc loco non tam colorem poeta spectat, quam subito eum venire et rursus evanescere. Meridiei candor laudatur her. 15. 318. *candidior medio nox erit illa die.* Noctem, quae in Homeri imaginibus saepius locum habet: A. 47. *νυκτὶ ἐοικώς* λ. 606. *ὁ δ' ἐρεμνῇ νυκτὶ ἐοικώς* — poetae elegiaci plane omiserunt.

Solis, qui, ut ait Ovidius met. I. 135, omnibus est communis, perpetui cursus cum sint in Licinii Calvi fragmento tredecimo: *sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus,*[18]) quae verba esse Jus finem errorum desiderantis Lucianus Müller suspicatur, vix dubium mihi videtur esse, quin, qui ea memoriae servavit, Servius ex imaginum serie ea decerpserit, qua enumerata petiverit Jo, cum omnes denique ad finem laborum pervenirent, ut sibi quoque tandem requiescere liceret. Vigori radiorum solis fortitudinem viri comparat Mimnermus. 14. 11. *ὅτ' αὐγῇσιν φέρετ' εἴκελος ἠελίοιο.* Nitor solis iam apud Homerum saepe est in comparationibus, sed ita ut poeta non neglexerit, alium esse aliis diei temporibus solis colorem. Etenim K. 547 (*ἵπποι*) *αἰνῶς ἀκτίνεσσιν ἐοικότες ἠελίοιο* et Ξ 185 *λευκὸν δ' ἦν ἠέλιος ὥς* splendorem albescentem intelligi vult, contra X. 134. *ἀμφὶ δὲ χαλκὸς ἐλάμπετο εἴκελος αὐγῇ ἢ πυρὸς αἰθομένου ἢ ἠελίου ἀνιόντος* ruborem. Solem nubes vincentem bis Ovidius induxit, ut laetam Proserpinae pingeret faciem met. V. 570. ut *sol, qui tectus aquosis nubibus ante fuit, victis e nubibus exit,*[19]) ad Vertumni pulcritudinem illustrandam met. XIV. 768. *qualis ubi oppositas nitidissima solis imago evicit nubes nullaque obstante reluxit.*[20]) Oculos amore micantes radiis solis a

---

werdekeit baz, den der meie und al sîne doene, die die vogele singent. (Haupt. Minnesangs Frühling. 141. 12.)

[17]) verbis „infectis — nubibus", quippe quibus opposuerit „aut purpureae aurorae", poeta vespertinum caeli ruborem significare voluit, ad quem nominandum propria vox latini sermonis ei praesto non erat. Ita sententiam explicare non possemus, si „adversi solis ab ictu" idem esset atque „ab ictu solis in adversa parte caeli stantis". At non est. Voluit enim poeta significare, non totam nubem rubescere, sed modo eam nubis partem, quae ictu solis adversa sit, quod quovis vespero in caelo aspicere potes.

[18]) aliter Mimnermus. 12. *Ἠέλιος μὲν γὰρ πόνον ἔλλαχεν ἤματα πάντα οὐδέποτ' ἄμπαυσις γίγνεται οὐδεμία.*

[19]) similiter Henricus de Morungen 129. 20. si liuhtet sam der sunne tuot gegen dem lichten morgen: ê was si verborgen.

[20]) haec inter perfectissimas Ovidii similitudines habenda est, cum, ut Vertumno sol, ita nubibus velamenta anilia respondeant, quibus se deus occuluerat, itaque nihil neque desideretur, neque supervacaneum sit, ut iustam habeamus comparationem.

speculo vel aqua repercussis Ovidius comparat a. am. II. 722. *aspicies oculos tremulo fulgore micantes, ut sol a liquida saepe refulget aqua.* met. IV. 348. *flagrant quoque lumina nymphae non aliter quam cum puro nitidissimus orbe opposita speculi referitur imagine Phoebus.* Quibus cum locis poeta fulgorem spectet, non possunt comparari cum Vergilii Aen. VIII. 22.

atque animum celerem nunc huc, nunc dividit illuc
in partesque rapit varias perque omnia versat:
sicut aquae tremulum labris ubi lumen aënis
sole repercussō aut radiantis imagine lunae
omnia pervolitat late loca iamque sub auras
erigitur summique ferit lacuaria tecti.

quibus versibus ex Apollonii Argon. III. 754, ut recte vidit Washietlius,[21]) depromptis, poeta celeritatem respexit, qua omnia loca lumen pervolitet. Ovidius trist. II. 325 se facit quaerentem Augusti faciem ut . . *trahunt oculos radiantia lumina solis,* cui contrariam imaginem habet ex P. III. 4. 49. *utque reformidant insuetum lumina solem.*[22]) Soli umbras opponit rem. am. 405. *frigore soles, sole iuvant umbra,* cui similis est Aeschyli metaphora Ag. 968.

καὶ σοῦ μολόντος δωματῖτιν ἑστίαν
θάλπος μὲν ἐν χειμῶνι σημαίνω μολόν
ὅταν δὲ τεύχῃ Ζεὺς ἀπ' ὄμφακος πικρᾶς
οἶνον, τότ' ἤδη ψῦχος ἐν δόμοις πέλει
ἀνδρὸς τελείου δῶμ' ἐπιστρωφωμένου.[23])

Quamquam autem non credo, hunc locum Ovidio observatum esse, praesertim cum eandem imaginem etiam in carmine Polyphemi usurpaverit, de quo quid sentirem, supra dixi, met. XIII. 793 *solibus hibernis, aestiva gratior umbra,* tamen memoria dignum videtur, aliam quoque imaginem solis et umbrae trist. I. 9. 11.

utque comes radios per solis euntibus umbra est,
cum latet hic pressus nubibus, illa fugit:
mobile sic sequitur fortunae lumina volgus,
quae simul inducta nube teguntur, abit.

---

[21]) de similitudinibus imaginibusque Ovidianis. diss. Vindob. 1883.

[22]) etiam in hoc cognoscas, quam versatile fuerit Ovidii ingenium, quod haud raro eisdem rei diversas partes in imagines converterit, cuius rei omnia exempla hic enumerare supervacaneum esse putavi, cum in cursu dissertationis singillatim afferenda sint.

[23]) quem locum Bernhardyus — Grundriss d. griech. Lit II. 1859. p. 247. — inter eos refert, qui ei quasi artem poeticam orientalem spirare videntur.

concinere cum eiusdem tragoediae versibus 838 *εὖ γὰρ ἐξεπίσταμαι ὁμιλίας κάτοπτρον, εἴδωλον σκιᾶς* (*ὄχλον*). Umbram timidis metum inicientem habes ex P. II. 7. 14. *vanaque sollicitis incutit umbra metum*. Sol et luna in vicem caelo, „*ministrantes*“ apud unum exstant Propertium III, 15. 35. *aspice uti caelo modo sol modo luna ministret, sic etiam nobis una puella parumst.*

Sidera noctis usque ad nostram aetatem omnibus hominibus adeo adamata sunt, vix ut mirari possumus, si permulti poetae ea frequentissime carminibus suis immiscent. Figura lunae est apud Moschum 1. 88. *ἄντυγος ἡμιτομοῦ κεραῆς ἅτε κύκλα Σελήνης.* Ov. met. III. 682 *falcata novissima cauda est, qualia dimidiae sinuantur cornua lunae.* Clarum lunae candorem primus laudavit Homerus I. 374 (*σάκος*) *τοῦ δ᾽ ἀπάνευθε σέλας γένετ᾽ ἠΰτε μήνης*, post Theocritus 2. 79 *στήθεα δὲ στίλβονται πολὺ πλέον ἢ τύ, Σελάνα*, quam imaginem paullo mutavit Horatius c. II. 5. 18.

non Chloris albo sic umero nitens,
ut pura nocturno renidet
luna mari.[24])

nam non lunae candori album umerum comparat, sed imagini lunae ab undis reiectae. Lygdamus quoque in descriptione pulcrae puellae luna utitur, qua mihi non tam album corporis colorem, quam totius figurae nitorem exprimere voluisse videtur. Etenim cum dicat 4. 29 *candor erat qualem praefert Latonia luna et color in niveo corpore purpureus*, vix credere possum, quod in hexametro imagine a luna desumpta expressit, id eum in pentametro simplici voce „*niveus*“ significasse. Imago lunae, cui omnes stellae cedant, exstat Ov. her. 17. 71. (Leander lunam alloquitur) *quantum cum fulges radiis argenta puris, concedunt flammis sidera cuncta tuis.* Eandem imaginem iam antea non solum Homerus usurpaverat Θ 552. *ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἐν οὐρανῷ ἄστρα φαεινὴν ἀμφὶ σελήνην φαίνετ᾽ ἀριπρεπέα, ὅτε τ᾽ ἔπλετο νήνεμος αἰθήρ*

sed etiam Sapphus fr. 3 *ἄστερες μὲν ἀμφὶ κάλαν σελάναν*
αἶψ᾽ ἀποκρύπτοισι φάεννον εἶδος,
. . ὅπποτα πλήθοισα μάλιστα λάμπῃ
γᾶν . . . .
. . . . . ἀργυρία

ut particula *μέν* satis docet, non potest esse, nisi similitudinis

[24]) veniunt mihi in mentem pulcri versus Ov. her. 17. 77. *unda repercussae radiabat imagine lunae et nitor in tacita nocte diurnus erat.*

fragmentum. Horatius quoque ante Ovidium eandem imaginem adhibuit c. I. 12. 46

micat inter omnes
Julium sidus velut inter ignes
luna minores. [25])

Quos autem loci Ovidiani fontem esse putat Washietlius versus Lucr. III. 1042—44

ipse Epicurus iit decurso lumine vitae,
qui genus humanum ingenio superavit et omnis
restincxit stellas exortus ut aetherius sol.

huc non pertinent, cum non pulcrius *inter* minores stellas exhibeant sidus, sed solem ortu *stellas restinguentem.* Fons autem hi versus omnino esse non possent, quia imago iam antea apud Graecos exstat: Leonid. Tarent. anth. Pal. IX 24:

ἄστρα μὲν ἠμαύρωσε καὶ ἱερὰ κύκλα σελήνης
ἄξονα δινήσας ἔμπυρος ἠέλιος,
ὑμνοπόλους δ' ἀγεληδόν ἀπημάλδυνεν Ὅμηρος

ubi eadem imago eundem ad finem usurpata est, atque apud Lucretium. Quod autem hi sic solem et stellas coniunxerunt, magis naturam rerum secuti sunt, quam qui solem inter stellas faciunt fulgentem, auctor encomii in laudem Demetrii Poliorcetae scripti (Bergk. carm. pop. 46).

σεμνόν τι φαίνεθ', οἱ φίλοι πάντες κύκλῳ,
ἐν μέσοισι δ' αὐτός,
ὅμοιον ὥσπερ οἱ φίλοι μὲν ἀστέρες,
ἥλιος δ' ἐκεῖνος [26])

et Strato Anth. Pal. XII 178.

ἐξεφλέγην, ὅτε Θεῦδις ἐλάμπετο παισὶν ἐν ἄλλοις
οἷος ἐπαντέλλων ἀστράσιν ἠέλιος·
τούνεκ' ἔτι φλέγομαι καὶ νῦν ὅτε πυκνὰ λαχνοῦται,
δυόμενος γὰρ ὅμως ἥλιός ἐστιν ἔτι.

Stellae fulgentes, quae saepe in Homeri comparationibus exstant — *Z*. 295 *Γ* 381 *ο* 108. *ἀστὴρ δ' ὥς ἀπέλαμπεν.* — apud Ovidium sunt am. III. 3, 9, *radiant ut sidus ocelli* et her. 19, 55, *tu facis hoc oculique tui, quibus ignea cedunt sidera.* Vesperum, qui apud Homerum est *X* 317. *οἷος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ ἕσπερος, ὅς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστὴρ.* Horatius habet c. III. 19. 26. *puro te similem, Telephe, vespero.* Ad exemplar comparationis, quae legitur *E* 4.

---

[25]) apud eundem quamquam non in imagine legitur epod. 15. 2. caelo fulgebat luna sereno inter minora sidera.

[26]) Hor sat. I. 7. 24.

δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ,
ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅστε μάλιστα
λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος Ὠκεανοῖο

formatae sunt Verg. Aen. VIII. 589.

qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
extulit os sacrum caelo tenebrasque resolvit.

et Ov. ex P. II. 5. 50. *surgit Juleo iuvenis cognomine dignus, qualis ab Eois Lucifer ortus aquis.* Apud unum Tibullum legitur I. 4. 20. *annus agit certa lucida signa vice.* Homerus quoque iam stellas cadentes in comparationes induxerat: *Δ*. 75.

οἷον δ' ἀστέρα ἧκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
ἢ ναύτῃσι τέρας ἠὲ στρατῷ εὐρέϊ λαῶν
λαμπρόν.

Qui post eum eandem exhibent imaginem, Callimachus h. in Del. 38. *βαθὺν ἥλαο τάφρον οὐρανόθεν, φεύγουσα Διὸς γάμον, ἀστέρι ἴση.* et Theocritus 13, 50. *κατήριπε δ' ἐς μέλαν ὕδωρ*

'αθρόος, ὡς ὅτε πυρσὸς 'απ' οὐρανοῦ ἤριπεν ἀστὴρ
'αθρόος ἐν πόντῳ, ναύταις δέ τις εἶπεν ἑταίροις·
κούφοτερ', ὦ παῖδες', ποιεῖσθ' ὅπλα· πλεύστικος οὖρος.

quod ambo stellam sponte cadentem faciunt, tacite mihi Homero obloqui videntur, qui Jovem induxerat stellas deiicientem. Obliterata erat Jovis opinio, superstitio remansit, ut luculenter demonstrat locus Theocriteus. Verg. Aen. V. 527.

namque volans liquidis in nubibus arsit harundo
signavitque viam flammis tenuisque recessit
consumpta in ventos, caelo ceu saepe refixa
transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.

Washietlius comparat cum Apollonii Arg. III. 140. 1376. Idem Ov. met. II. 321.

at Phaeton rutilos flamma populante capillos
volvitur in praeceps longoque per aëra tractu
fertur, ut interdum de caelo stella sereno
etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.[26])

revocare vult ad Lucr. II. 206.

---

[26]) maxime notabiles hos versus esse dicit Knaackius (quaestiones Phaetonteae. Berol. 1886.) ob simillimum colorem qui inest Euripideis: *ὁ δ' ἄρτι θάλλων σάρκα διοπετὴς ὅπως ἀστὴρ ἀπέσβη πνεῦμ' ἀφεὶς εἰς αἰθέρα* fr. inc. 961. temere Phaetonti tributum ab Hartungio Eur. rest. II. 203. hunc colorem igitur aut Naso de suo immiscuit aut auctor eius, qui certe Phaetontem inter astra rettulit.

nocturnasque faces caeli, sublime volantes,
nonne vides longos flammarum ducere tractus,
in quas cunque dedit partes natura meatum,
non cadere in terram stellas et sidera cernis?

sed hoc ne ei credamus, ea re efficitur, quod aperte varias de traiectione stellarum poetae sententias sequuntur. Lucretius enim, nisi credidisset, stellas revera cadere, quaerere non potuisset: *non cadere in terram stellas et sidera cernis?* Ovidium autem non ita sensisse verba docent *etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.* Ad multitudinem significandam iam vetustissimis temporibus homines numerum stellarum imagines loco adhibuerunt. Apud Graecos hanc imaginem iam pridem in proverbium abisse, non tam docet *Θ* 555, locus supra a me allatus, quam quae leguntur in Platonis Euthydemo 294. B. *ἦ καὶ νέυροῤῥαφεῖν δυνατώ ἐστον; καὶ ναὶ μὰ Δία καττύειν, ἔφη. ἦ καὶ τὰ τοιαῦτα, τοὺς ἀστέρας, ὁπόσοι εἰσί, καὶ τὴν ἄμμον;* Callimachus h. i Del. 175 *ἰσάριθμοι τείρεσιν, ἡνίκα πλεῖστα κατ' ἠέρα βουκολέονται* verbo *βουκολεῖσθαι* novam induxit imaginem et e natura sua artificiosiorem reddidit orationem sicuti Theocritus, apud quem est 30. 27.

ὄττις δοκίμοι τὸν δολομάχανον
νικάσειν Ἔρον, οὗτος δοκίμοι τοὺς ὕπερ ἄμμεων
εὐρεῖν βραϊδίως ἀστέρας ὀπποσσάκιν ἔννεα,

Jure A. Riesius [28]) in editione carminum Catulli dicit, simplicius et ingeniosius eandem imaginem a Catullo esse adhibitam 7. 4. *quam sidera multa, cum tacet nox, furtivos hominum vident amores.* Etiam in epithalamio eandem similitudinem adhibuit 61. 203.

siderumque micantium
subducat numerum prius,
qui vestri numerare vult
multa milia ludi.

---

[28]) Aliter visum est C. P. Schulzio (de Catullo Graecorum imitatore diss. Jen. 1871.) qui suspicatur, hoc carmem inter ea habendum esse *quae tot et tam certis imitationis Graecae vestigiis excellant, atque ita Graeca exemplaria spirent, ut ex aliquo carmine nunc deperdito translata esse verisimile sit.* Quorum in numerum vestigiorum etiam comparationem nostram refert. Quid vero de eo dicamus, quod contendit, carmen scriptum esse, *ubi primum poeta Lesbiam amare coeperit et verum illum ardorem,* quem in in ceteris carminibus, quae Lesbiae cecinerit Catullus, admiremur, *plane abesse.* Hoc omnino falsum esse, nemo non videt. Profecto ardor non abest immo redundat et effunditur e carmine, quod quasi inter ipsa oscula Catullus condidit, tam vivus, tam verus, ut caecus esse debeat, qui hoc carmen non proprium Catullo esse videt.

Bis eam apud Ovidium inveni: a. am I. 59 *quot caelum stellas, tot habet tua Roma puellas.* trist. I. 5. 47. tot *mala sum passus, quot in aethere sidera lucent.* Iniuria autem Zingerleus[29]), vir ceteroquin plurimae Ovidii lectionis, miratus est, Ovidium ea imagine uti, cum alias quaesitiora amet. Nam dummodo sententia venusta sit atque decora, utrum quaesitior sit an e vulgari sermone deprompta, Ovidius nunquam curavit.[30])

Aeri et ventis quis locus in comparationibus tributus sit, iam spectemus. Aeris, quem sicuti solem omnibus communem esse dixit met. I. 135., colorem semel in similitudinem induxit Ovidius, ut caesium vestis colorem depingeret a. am. III. 173. *aëris ecce color, tum cum sine nubibus aër, nec tepidus pluvias concitat auster aquas.* Idem her 6. 109 *vernaque incertior aura* et met. XIII. 807 *ventis volucrique fugacior aura* in ipsa celeritate levitatem respicit, non item Callimachus fr. 135 *ἀλλὰ θεόντων ὡς ἀνέμων οὐδεὶς εἶδεν ἁματροχίας,* qui Homeri secutus est *K*. 437. *(ἵπποι) θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.* Procellarum furores habes *Ξ* 398 *οὔτ' ἄνεμος τόσσον γε ποτὶ δρυσὶν ὑψικόμοισιν ἠπύει, ὅστε μάλιστα μέγα βρέμεται χαλεπαίνων.* Fortasse etiam Sapph. fr. 42 *ἄνεμος κατ' ὄρος δρύσιν ἐμπέσων* e comparatione desumpta est. Quod Theocritus habet 8. 57. *δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακόν* in latinam linguam Vergilius vertit ecl. 3. 81. *triste . arboribus venti.* Catullus hac imagine usus est 64. 105.

nam velut in summo quatientem bracchia Tauro
quercum aut cornigeram sudanti cortice pinum
in domitum turben contorquens flamine robur
eruit — illa procul radicitus exturbata
prona cadit, late, qua est impetus, obvia frangens.

Etiam venti in mare furentes sunt in Homeri similitudinibus: *Λ* 297. *ἐν δ' ἔπεσ' ὑσμίνῃ ὑπεραέϊ ἶσος ἀέλλῃ, ἥτε καθαλλομένη ἰοειδέα πόντον ὀρίνει.* Eratosthen. Erig 1. *κυμαίνει δ' οἷα Λίβυσσαν ἅλα*

Βοῤῥῆς ἠὲ Νότος, τά δὲ καὶ κεκρυμμένα φαίνει
βυσσόθεν, ἐκ δ' ἀνδρῶν πάντ' ἐτίναξε νόον.

Hor. c. IV. 4. 42. *ceu . vel Eurus per Siculas equitavit undas.* ibid 14. 20. *indomitas prope qualis auster exercet undas Pleiadum choro scindente nubes.* Quae apud Homerum leguntur I. 4:

---

29) Ovid und sein verhältniss zu den vorgängern u. gleich. röm. dichtern. I. p. 36.

30) quamquam non imago est, tamen liceat mihi afferre am II. 10. 14. quid folia arboribus, quid pleno sidera caelo, in freta collectas alta quid addis aquas?

ὡς δ' ἄνεμοι δύο πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα,
Βορρῆς καὶ Ζέφυρος, τάτε Θρῄκηθεν ἄητον,
ἐλθόντ' ἐξαπίνης· ἄμυδις δέ τε κῦμα κελαινὸν
κορθύεται, πολλὸν δὲ παρὲξ ἅλα φῦκος ἔχευαν

ad quam etiam Eratosthenis locus mihi redire videtur, et *Π.* 765

ὡς δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἐριδαίνετον ἀλλήλουν
οὔρεος ἐν βήσσῃς βαθέην πελεμιξέμεν ὕλην
φηγόν τε μελίην τε τανύφλοιόν τε κράνειαν,
αἵτε πρὸς ἀλλήλας ἔβαλον τανυήκεας ὄζους
ἠχῇ θεσπεσίῃ, πάταγος δέ τε ἀγνυμενάων.

valde, ni fallor, placuerunt Vergilio, quippe qui ter, ut est grandium imaginum amantissimus, ita eas coniunxit, ut undas simul et silvas procellarum vi turbatas exhiberet: Georg. III. 196.

qualis hyperboreis aquilo cum densus ab oris
incubuit Scythiaeque hiemes atque arida differt
nubila: tum segetes altae campique natantes
lenibus horrescunt flabris summaeque sonorem
dant silvae longique urgent ad litora fluctus:
ille volat simul arva fuga simul aequora verrens.

Aen. II. 416. *adversi rupto ceu quondam turbine venti*
confligunt Zephyrusque Notusque et latus eois
Eurus equis: stridunt silvae saevitque tridenti
spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.

Aen. X. 97. *ceu flamina prima*
cum deprensa fremunt silvis et caeca volutant
murmura, venturos nautis prodentia ventos.

praeterea mare a ventis agitatum in comparatione persecutus est Aen. X 356.

magno discordes aethere venti
proelia ceu tollunt animis et viribus aequis,
non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit,
anceps pugna diu, stant obnixa omnia contra.

Flustra, quae sunt in Simonidis fr. 12

ὡς ὁπόταν χειμέριον κατὰ μῆνα πινύσκῃ
Ζεὺς ἄματα τέσσαρα καὶ δέκα
λαθάνεμόν τέ μιν ὥραν καλέοισιν ἐπιχθόνιοι
ἱρὰν παιδοτρόφον ποικίλας ἀλκυόνος

apud poetas elegiacos non inveni. Austrum sole fessos delectantem habes Verg. ecl. 5. 81. *nam neque me tantum venientis sibilus austri nec iuvant.* Georg. IV. 261. *frigidus ut quondam silvis immur[illegible]ter.*

Nubes. Non tam diligenter, ut Arabes, poetae graeci latinique ventorum nubiumque ludos contemplati esse videntur. Quamquam etiam huius modi comparationes exstant: E. 522.

ἀλλ' ἔμενον νεφέλῃσιν ἐοικότες, ἅστε Κρονίων
νηνεμίης ἔστησεν ἐπ' ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν
ἀτρέμας, ὄφρ' εὕδῃσι μένος Βορέαο καὶ ἄλλων
ζαχρηῶν ἀνέμων, οἵτε νέφεα σκιόεντα
πνοιῇσιν λιγυρῇσι διασκιδνᾶσιν ἀέντες.

Il. 297. ὡς δ' ὅτ' ἀφ' ὑψηλῆς κορυφῆς ὄρεος μεγάλοιο
κινήσῃ πυκινὴν νεφέλην στεροπηγερέτα Ζεύς,
ἔκ τ' ἔφανεν πᾶσαι σκοπιαὶ καὶ πρώονες ἄκροι
καὶ νάπαι, οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπερράγη ἄσπετος αἰθήρ

Sol. 13. 8. ἀλλὰ Ζεὺς πάντων ἐφορᾷ τέλος, ἐξαπίνης δέ
ὥστ' ἄνεμος νεφέλας αἶψα διεσκέδασεν.

Theocr. 25. 89. αὐτὰρ ἔπειτα βόες μάλα μυρίαι ἄλλαι ἐπ' ἄλλαις
ἐρχόμεναι φαίνονθ' ὡςεὶ νέφη ὑδατόεντα,
ἀσσά τ' ἐν οὐρανῷ εἶσιν ἐλαυνόμενα προτέρωσε
ἠὲ νότοιο βίῃ ἠὲ Θρηκὸς βορέαο.

Cat. 64. 238. *haec mandata prius constanti mente tenentem*
Thesea ceu pulsae ventorum flamine nubes
aerium nivei montis liquere cacumen.

Hor. c. I. 7. 15. *albus ut obscuro deterget nubila caelo*
saepe notus nec parturit imbres
perpetuos.

Prop. II. 5. 11. *non ita Carpathiae variant aquilonibus undae*
nec dubio nubes vertitur atra noto.

Color nubium, nisi in iis comparationibus, quas supra ab aurora delatas enumeravi, ab uno Vergilio semel adhibitus est Aen. VIII 622.

loricam ex aere rigentem
sanguineam, ingentem, qualis cum caerula nubes
solis inardescit radiis longeque refulsit

quibus non ruborem matutinum spectat poeta, ut Washietlius vult, neque Apollonii versus Arg. IV 125 seqq. secutus est, ubi vellus aureum vocatur νεφέλῃ ἐναλίγκιον, ἥ τ' ἀνιόντος ἠελίου φλογέρῃσιν ἐρεύθεται ἀκτίνεσσι nisi credimus, Vergilium ignorasse, alium esse auri fulgorem, alium aeris. Ipsa illa vox *„caerula“* docet, hoc loco agi de colore nubium, quae tempestate oriente caeruleae conglobatae sub adversi solis radiis peculiari micant fulgore neque negari potest, huic colori aptissime comparari thoracis aenei splendorem coruscum.

Arena. De copia similitudinum ab arena depromptarum eadem dicenda sunt, quae supra diximus de imaginibus, quae

siderum spectant multitudinem. Locos, quibus haec imago usurpata est, hosce inveni: B. 800. I. 385. Callim. h. in Dian 253 ἐπὶ δὲ στρατὸν ἱππημολγῶν ἤλασε Κιμμηρίων, ψαμάθῳ ἶσον, frgm. adesp. Bergk. 94. οὐ ψάμμος ἢ κόνις τόσσον ἂν χεύαιτ' ἀριθμόν.

Cat. 7. 3. *quam magnus numerus Libyssae arenae*
lasarpiciferis iacet Cyrenis
oraclum Jovis inter aestuosum
et Batti veteris sacri sepulcrum [30])

Ceteri loci, quibus ea imago invenitur, sunt Cat. 61. 202. Hor. c. I. 28. 1. Verg. Georg. II. 105. Ov. a. am. I. 245. met. XI. 614. XIV. 137. trist. I. 5. 47. IV. 1. 55. V. 1. 31. V. 6. 43. Praeterea huc revocandi sunt versus, qui leguntur am. II. 19. 45.

ille potest vacuo furari litore arenas,
uxorem stulti si quis amare potest

nam quae hic spectatur, vilitas arenae ex copia sequitur. Fortunam arenae comparat Ov. Jb. 419.

utque per alternos unda labente recursus
subtrahitur presso mollis arena pedi,
sic tua nescio qua semper fortuna liquescat
lapsaque per medias effluat usque manus.

Montes in imaginibus non nisi ut magnitudo quaedam pingatur, adhibentur: γ. 290. κύματά τε τροφόεντα, πελώρια, ἶσα ὄρεσσιν. Verg. Aen. II. 15. *instar montis equum.* id VIII. 691. *pelago credas innare revolsas Cycladas aut montes concurrere montibus altos.* Ov. met. XI. 554. *nec levius quam si quis Athon Pindumve revulsos sede sua totos in apertum everterit aequor, praecipitata cadit.* Quid sibi velit Theocr. 22. 48.

ἐν δὲ μύες στερεοῖσι βραχίοσιν ἄκρον ὑπ' ὦμον
ἕστασαν, ἠΰτε πέτροι ὀλοίτροχοι, οὕστε κυλίνδων
χειμάῤῥους ποταμὸς μεγάλαις περιέξεσε δίναις

optime intelligemus, si bracchia statuae cuiusdam, ut Herculis Farnesini qui dicitur, contuebimur.

Mare. Comparationes a mari itemque a re navali deductas, quas poetae tragici ut Athenienses adamant et saepissime ad-

[30]) quibus versibus cum simplicem sententiam „quantus numerus arenae in vastitate Libyae est“ copiosius enuntiet, non censendus est graecum exemplar latinis vocibus expressisse, sed rem simplicem transferens in regionem remotam, qualem aequales poetam esse voluerunt, doctum se praebuit et litteris Graecis imbutum. Ceterum ista verborum abundantia nugis amatoriis aptissima efficit, ut ante oculos nostros sit adolescens amore flagrans, qui vel plurimis verbis eloqui non possit, quot osculis puellae satietur.

hibent, apud poetas elegiacos, quorum longe aliud erat vitae genus, multo rariores esse, non mirabimur. A multitudine undarum depromptas imagnines inveni: *Δ* 422.

ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κῦμα θαλάσσης
ὄρνυτ' ἐπασσύτερον Ζεφύρου ὕπο κινήσαντος.

Theocr. 16. 60. *ἀλλ' ἶσος γὰρ ὁ μόχθος ἐπ' ᾄονι κύματα μετρεῖν,*
ὅσσ' ἄνεμος χέρσονδε μετὰ γλαυκᾶς ἁλὸς ὠθεῖ[31])

Phrynich. 3. *σχήματα δ' ὄρχησις τόσα μοι πόρεν, ὅσσ' ἐνὶ πόντῳ*
κύματα ποιεῖται χείματι νὺξ ὀλοή.

Verg. Georg. II. 107. *quem qui scire velit . velit . idem*
. . ubi navigiis violentior incidit eurus,
nosse, quot Jonii veniant ad litora fluctus.

Aen. VII. 718. *quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,*
saevus ubi Orion hibernis conditur undis.

Vastitatem maris, ita ut imago vituperationem resipiat, Callimachus exhibet h. in Ap. 108. *οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει.* Sonitus undarum nobis offertur B 209. *ἠχῇ ὡς ὅτε κῦμα πολυφλοισβοίου θαλάσσης αἰγιαλῷ μεγάλῳ βρέμεται, σμαραγεῖ δέ τε πόντος.* Anacr. 90. *μηδ' ᾧστε κῦμα πόντιον λάλαζε.* Verg. Georg. IV. 262. *ut mare sollicitum stridet refluentibus undis.* Ov, met. XII. 50. *nec tamen est clamor, sed parva murmura vocis, qualia de pelagi, si quis procul audiat, undis esse solent.* ibid. XV. 603 *murmura. qualia fluctus aequorei faciunt, si quis procul audiat illos.* Quam suave sit, strepitum undarum litus plangentium auribus excipere Vergilius commemorat ecl. 5. 83. *nam neque me tantum . . nec percussa iuvant fluctu tam litora.* Quam mare sub levibus auris tremulum pulcherrimam commodet imaginem non neglexit Ovidius, qui ter ea usus est. am I. 7. 56 *membra trementia vidi (ut . .) summave cum tepido stringitur unda noto.* met. IV. 135. *exhorruit aequoris instar, quod tremit, exigua cum summum stringitur unda.* her. II. 75. *ut mare fit tremulum, tenui cum stringitur unda.* Similitudinem vero, cui parem elegantia ac suavitate vix invenire possis, Catullus inde depromsit 64, 269

hic, qualis flatu placidum mare matutino
horrificans Zephyrus proclivas incitat undas
aurora exoriente vagi sub limina Solis,
quae tarde primum clementi flamine pulsae
procedunt leviterque sonant plangore cachinni,
post vento crescente magis magis increbrescunt
purpureasque procul nantes a luce refulgent.

---

31) brevius Anacreont. 13. 3. *εἰ κύματ' οἶδας εὑρεῖν τὰ τῆς ὅλης θαλάσσης, σέ τῶν ἐμῶν ἐρώτων μόνόν ποιῶ λογιστήν.*

certe non immemor earum comparationem, quas Homerus habet B. 144. et H. 63. Undas sub ventorum flaminibus variatas animo mulieris facile mutabili Propertius comparavit II. 5. 11. (cf. pag. 19) exquisitiorem etiam in hac similitudine gustum secutus. Mare surgens est apud Vergilium Georg. III. 237.

fluctus uti, coepit medio cum albescere ponto,
longius ex altoque sinum trahit utque volutus
ad terras immane sonat per saxa neque ipso
monte minor procumbit, at ima exaestuat unda
verticibus nigramque alte subiectat arenam

ubi similitudo intercedit cum Eratosthenis fragmento supra allato, et brevius Aen. VII. 528.

fluctus uti primo coepit cum albescere vento,
paullatim sese tollit mare et altius undas
erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo.

Ovidius quoque eandem habet imaginem, sed ita, ut magis anni tempus respexisse videatur, met XIV. 711. *saevior illa freto surgente cadentibus haedis.* Imago, quam Vergilius exhibet Aen. XII 451.

ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἀπὸ σκοπιῆς εἶδεν νέφος αἰπόλος ἀνὴρ
ἐρχόμενον κατὰ πόντον ὑπὸ Ζεφύροιο ἰωῆς·
τῷ δέ τ᾽ ἄνευθεν ἐόντι μελάντερον ἠΰτε πίσσα
φαίνετ᾽ ἰὸν κατὰ πόντον· ἄγει δέ τε λαίλαπα πολλήν.

sed Aen. XI. 624—28.

qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
nunc ruit ad terram scopulosque superiacit unda
spumeus extremamque sinu perfundit arenam,
nunc rapidus retro atque aestu revoluta resorbens
saxa fugit litusque vado labente relinquit.

non huc revocandi sunt, sed accessum et recessum fluctuum spectant cotidianum. Undas maris post procellam lenius in arenam cadentes habet Prop. IV. 14. 31. ac *veluti magnos cum ponunt aequora motus*

Eurus ubi adverso desinit ire Noto,
littore si tacito sonitus rarescit arenae . . .

et Ovidius amorem absentis puellae undis comparat Fast. II. 775.

ut solet a magno fluctus languescere flatu,
sed tamen a vento, qui fuit, unda tumet.

Apud eundem „*undae fallaces*“ in comparatione sunt met. XIII. 799, mare „*ferox*“ her. 3. 133, mare „*surdum*“ her. 8, 9. et met. XIII. 804. A Theognid. 107 *οὔτε γὰρ ἂν πόντον σπείρων βαθὺ λήϊον ἀμῷς* non aliena sunt, quae leguntur Call. h. in Dem. 90. *τὰ*

δ'ἐς βυθὸν οἷα θαλάσσας ἀλεμάτως ἀχάριστα κατέρρεεν εἴδατα πάντα. Fluvios in mare euntes Vergilius et Ovidius in similitudines insumunt, ille ut vim, qua Aeneas et Turnus in certamen ruunt, significat Aen. XII 523.

ac velut . . .
aut ubi decursu rapido de montibus altis
dant sonitum spumosi amnes et in aequora currunt,
quisque suum populatus iter.

hic sententiam communem, omnia flumina ferri in mare, ter usurpat, primum, ut Tartarum illustret omnes manes recipientem. met. IV. 440 *utque fretum de tota flumina terra, sic omnes animas locus accipit* ille, tum Callimachum imitatus, ut Erysichthonis famem pingat ib. VIII. 835. *utque fretum recipit de tota flumina terra nec satiatur aquis peregrinosque ebibit amnes.* denique, ut se excuset concinentem cum universo populo vota pro diuturna Augusti vita. trist. V. II. 27. *optat idem populus sed ut in mare flumina vastum, sic solet exiguae currere rivus aquae.*

Flumina quem locum teneant in comparationibus, optime videbimus, si per ordinem cursum eorum persequemur. Fons oriens est in similitudine Ov. a. am. II. 343. *nascitur exiguus, sed opes acquirit eundo, quaque venit multas accipit amnis aquas.* fons excaecatus ex P. IV. 2. 16.

scilicet ut limus venas excaecat in undis
laesaque suppressa fonte resistit aqua,
pectora sic mea sunt limo vitiata malorum.

fons uberius fluens Bergk. fr. ad. 90.

προβάτων γὰρ ἐκ πάντων κελάρυξεν,
ὡς ἀπὸ κρανᾶν[32]) *φέρτατον ὕδωρ,*
θάλεον γάλα.

Ov. am. III. 9. 25. *adice Maeoniden, a quo ceu fonte perenni vatum Pieriis ora rigantur aquis.* quibus quasi oppositum est Theocr. 8. 25. *δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακόν, ὕδασι δ'αὐχμός.* Theocriti 1. 7. *ἅδιον . τὸ τέον μέλος ἢ τὸ καταχὲς τὴν ἀπὸ τᾶς πέτρας καταλείβεται ὑψόθεν ὕδωρ* Vergilius imitatus est. ecl. 5. 86 *nec percussa iuvant fluctu tam litora nec quae saxosas inter decurrunt flumina valles.* Imaginem, quae iam legitur Aesch. Ag. 901. *(λέγοιτ' ἂν ἄνδρα τόνδ' ἀπενθήτῳ φρενὶ) ὁδοιπόρῳ διψῶντι πηγαῖον ῥέος* ter apud latinos inveni: Cat. 68. 57.

qualis in aerii perlucens vertice montis
rivus muscoso prosilit e lapide,

qui, quum de prona praeceps est valle volutus,
per medium sensim transit iter populi,
dulce viatori lasso in sudore levamen.

Verg. ecl. 5. 46. *quale per aestum dulcis aquae saliente sitim restinguere vivo.* Ov. rem. am 406 *grata fit unda siti.* Ceterum hanc similitudinem non Graecorum Romanorumve propriam, sed omnibus populis sub violento sole degentibus communem esse, res ipsa docet. Philosophi illud *πάντα ῥεῖ* in imaginem conversum est ab Horatio et Ovidio: Hor. c. III. 29. 33.

. . . cetera fluminis
ritu feruntur nunc medio alveo
cum pace delabentis Etruscum
in mare, nunc lapides adesos
stirpesque raptas et pecus et domos
volventis una non sine montium
clamore vicinaeque silvae,
cum fera diluvies quietos
irritat amnes.

Ov. a. am. III. 63. *ludite: eunt anni more fluentis aquae,*
nec, quae praeteriit, iterum revocabitur unda,
nec, quae praeteriit, hora redire potest.

id. met. XV. 180. *ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu*
non secus ac flumen: neque enim consistere flumen
nec levis hora potest, sed ut unda impellitur unda,
urgueturque eadem veniens urguetque priorem,
tempora sic fugiunt pariter pariterque sequuntur.[33])

Imagines, quibus amnes furentes inducuntur, formatae sunt ad Homeri exemplum: *E.* 87.

θῦνε γὰρ ἂμ πεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικώς
χειμάρρῳ, ὅστ' ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφύρας·
τὸν δ'οὔτ' ἂρ τι γέφυραι ἐεργμέναι ἰσχανόωσιν,
οὔτ' ἄρα ἕρκεα ἴσχει ἀλωάων ἐριθηλέων.
ἐλθόντ ἐξαπίνης, ὅτ' ἐπιβρίσῃ Διὸς ὄμβρος·
πολλα δ'ὑπ' αὐτοῦ ἔργα κατήριπε κάλ' αἰζηῶν· '

sunt autem hae: Theocr. 25. 201. *πάντας γὰρ πισῆας ἐπικλύζων ποταμός ὥς λῖς ἄμοτον κεράϊξε.* Dioscorid. A. P. VII. 411. *Αἰςχύλος ὁ μὴ σμιλευτὰ χαράξας γράμματα, χειμάρρῳ δ'οἷα καταρδόμενα* quod fortasse spectavit Horatius c. IV. 2. 5.

monte decurrens velut amnis, imbres
quem super notas aluere ripas,

---

[33]) cf. E. Graf. ad aureae aetatis fabulam symbola p. 33. leipz. studien. 8, 1. 1885.

fervet immensusque ruit profundo
Pindarus ore.

Id. c. IV. 14. 25 *sic tauriformis volvitur Aufidus,*
qui regna Dauni praefluit Apuli,
cum saevit horrendamque cultis
diluviem meditatur agris.

Ov. am. I. 7. 43. *denique si tumidi ritu torrentis* agebar. met. III. 568
sic ego torrentem, qua nil obstabat eunti
lenius et modico strepitu decurrere vidi,
at quacunque trabes obstructaque saxa tenebant,
spumeus et fervens et ab obice saevior ibat.

Fast. II. 219: *ecce velut torrens undis pluvialibus auctus*
aut nive, quae Zephyro victa tepente fluit,
per sata perque vias fertur nec, ut ante solebat,
riparum clausas margine finit aquas . .

Verg. ecl. 7. 52. *hic tantum Boreae curamus frigora, quantum*
. . torrentia flumina ripas.

Aen. II. 305. *(veluti cum) rapidus montano flumine torrens*
sternit agros, sternit sata laeta boumque labores,
praecipitesque trahit silvas: stupet inscius alto
accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

ibid. 496. *non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis*
exit appositasque evicit gurgite moles,
fertur in arva furens cumulo composque per omnes
cum stabulis armenta trahit.

ibid. X. 603. *talia per campos edebat funera ductor*
Dardanius, torrentis aquae vel turbinis atri
more furens.

ibid. XI. 297. *ceu saxa morantur*
cum rapidos amnes, fit clauso gurgite murmur
vicinaeque fremunt ripae crepitantibus undis.

Grandia etiam flumina rivis multis tenuari Ovidius habet rem. am. 445 et aquam de flumine manantem in agros ibid. 617.

Imbres. Umor, quem Vergilius respicit ecl. 3. 82. *dulce satis umor* de rigatione agrorum intelligendus est, cum paullo antea de imbre dixerit ibid. 80 *triste. maturis frugibus imbres.* Etenim nunquam in similitudinibus nostris lenis pluvii fit mentio, [35]) quo

[35]) quae etiam extra exempla nusquam invenitur. Ne Tibullus quidem, qui est plurimus in gaudiis rusticis pingendis, eum cognosse videtur. I. 47 ubi commemorat, quam dulce sit, imbre cadente consopiri, quod „gelidas“ seorsim primo loco collocavit, monstrat, non tam imbrem eum invasse, quam sub tecto esse, cum imber gelidus cadat.

apud nos ver agros recreare solet, nam bullae, quarum mentio fit Ov. met. X 733. *intumuit sic ut pluvio perlucida caelo surgere bulla solet,* — in aquarum aequore surgere solent ubi lente magnae guttae cadunt, signa tempestatis orientis. Ipsam tempestatem habes *Il.* 384. *ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαινὴ βέβριθε χθὼν*
ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
Ζεύς . . . .
τῶν δέ τε πάντες μὲν ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες,
πολλὰς δὲ κλιτῦς τότ' ἀποτμήγουσι χαράδραι,

Verg. Georg. IV. 312. *donec ut aestivis effusus nubibus imber*
erupere.

Aen. V. 317. *corripiunt spatia audito limenque relinquunt*
effusi nimbo similes

ibid. IX. 668. *quantus ab occasu veniens pluvialibus haedis*
verberat imber humum, quam multi grandine nimbi
in vada praecipitant, cum Juppiter horridus austris
torquet aquosam hiemem et caelo cava nubila ruppit.

ibid. X. 803. *ac velut effusa si quando grandine nimbi*
praecipitant, omnis (campis diffugit arator
omnis et agricola et) tuta latet arce viator,
aut amnis ripis aut alti fornice saxi,
dum pluit in terris, ut possint sole reducto
exercere diem.

Cum Horatii loco, quem attuli pag. 16, componere possumus Ov. ex P. IV. 1. 2.

nulla dies adeo est australibus humida nimbis,
non intermissis ut fluat imber aquis.

Grando. Nix. Glacies. Ut grando resilire solet a culminibus tecti, ita sarissam a facie Caenei resilientem facit Ovidius met. XII. 480. Idem unus poetarum est, apud quem in comparatione inveni imbrem frigoribus concrescentem met. IX. 220.

utque ferunt imbres gelidis concrescere ventis,
inde nives fieri, nivibus quoque molle rotatis
astringi et spissa glomerari grandine corpus

cui similitudini Washietlius comparat Lucr. VI. 527.

cetera quae cursu crescunt cursuque creantur
et quae concrescunt in nubibus, omnia, prorsum
omnia, nix, venti, grando gelidaeque pruinae
et vis magna geli, magnum duramen aquarum
et mora, quae fluvios passim refrenat euntis.

At si addit *„vides iam manifestam inter utrumque locum intercedere similitudinem“* equidem non video, nisi forte ea manifesta

similitudo habenda sit, quatuor voces „concrescere-gelidus-nix-ventus“ apud utrumque exstare. Maxime autem Washietlius urget *ferunt* illud ab Ovidio positum. *Significat enim,* inquit, *Naso hoc verbo, si quid video, non vulgi opinionem sed hominum doctorum sententias.* In quo plane cum eo mihi consentiendum est, cum vulgus de eius modi rebus aliquid sentire vix soleat. Quod vero pergit — *quem tu autem magis putas ab Ovidio significatum esse, quam eum, cui plurimum illum studium iam satis impendisse docuimus, Lucretium?* neglexit, causam nullam esse, cur Ovidius sententiae omnibus eius aetatis viris doctis communis significet *auctorem* Lucretium. Accedit, quod Lucretius, quomodo imber nix fiat, ne verbo quidem attigit, nisi magnum duramen aquarum de hac re dictum sit, quae mihi quidem verba in molles nives quadrare non videntur. Sed iam nobis dicendum est de imaginibus a natura nivis deductis. Ac primum quidem frigus nivis a Theocrito commemoratur 2. 106 *πᾶσα μὲν ἐψύχϑην χίονος πλέον,* ubi Ovidius pro nive glaciem induxit her. 1. 22. *frigidius glacie pectus amantis erat.* ibid 10. 32 *frigidior glacie semianimisque fui.* Album ad colorem depingendum in multis comparationibus nivem locum habere videmus: K. 437, Philoxen. 2, 6. Cat. 25, 26. 61, 9. 80, 1. Prop. II. 3, 1. Verg. Aen. XII. 84. Ov. am. III. 5, 11. 7, 7. her. 15. 249. met. II. 852. VII. 373. XIII. 795. ex P. II. 5.38. Nivem radiis solis madentem exhibent Callimachus h. i. Dem. 92. *ὡς δὲ Μίμαντι χιών . . καὶ τούτων ἔτι μᾶσσον ἐτάκετο* et Theocritus 7, 76. *εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἷμον ἢ Ἄϑω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα.* [36]) Quod utroque loco nomina montium afferuntur, docet, poetas ante oculos habuisse τ 205. *ὡς δὲ χιὼν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν.* Eandem imaginem semel modo Ovidius habet: ex P. I. 1. 68. *non igitur mirum, si mens mea tabida facta de nive manantis more liquescit aquae.* nam met. II. 808 glaciem in nivis locum vocavit et met. III. 488 *matutinas pruinas.* Ad abundantiam lacrimarum significandam hac imagine Ovidius utitur: her. 13, 52 am. I. 7, 58. trist. III. 2, 19. ex P. II. III. 3, 89. Idem imbris instar facit lacrimas fusas her. 10, 138 et fluminis modo her. 8. 62. Megarae auctor v. 45. *σὺ δ' ἠΰτε λείβεαι ὕδωρ νύκτας τε κλαίουσα καὶ ἐκ Διὸς ἤματα πάντα* unus nostrorum poetarum spectasse videtur *rivulos*

---

[36]) Hillerus ad hunc versum adnotat: bei *χιών ist die hinzufügung von τις auffallend, es soll damit wohl ein schneehaufen oder eine schneemasse bezeichnet werden.* videtur in eo offendisse, quod nomina montium addidit poeta. certe *χιών τις* temporale dictum est, non aliter atque a nostrate, *es ist ein schnee gefallen.*“

a rupibus praecipitibus stillantes, cuius imaginis usus frequens est apud tragicos epicosque poetas pendetque e divinis illis Homeri versibus Π. 3 [37]). Ad multitudinem depingendam nives adhibitae sunt Γ 221. *Τ* 357. Callim. i. Del. 175. Ov. tr. IV. 1. 58 grandines contra Verg. Georg. IV. 80. Aen. V. 458. Ov. met. V. 158 Ib. 199 [38]).

Tonitrus atque fulmina. Tonitruum fragorem exhibet Vergilius Aen. XII. 922. *nec fulmine tanti dissultant crepitus, tonitrus* procul auditos Ovidius met. XII. 51. *qualemve sonum, cum Juppiter atras increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.* Fulminum, quorum splendorem laudat Homerus *Κ*. 153. *Λ*. 66. *Ξ*. 386. celeritatem respexit Vergilius Aen. VIII. 390. *non secus atque olim tonitru cum rupta corusco ignea rima micans percurrit lumine nimbos.* celeritatem et vim ibid. IX. 706. *fulminis acta modo.* XI. 616. *excussus Aconteus fulminis in morem.* Utramque etiam Ovidius spectat met. VIII. 338 *hinc aper excitus medios violentus in hostes fertur, ut excussis elisi nubibus* ignes . cui loco Zingerleus probante Washietlio contulit Lucr. II. 214. *nunc hic, nunc illuc abrupti nubibus ignes concursant.* Sed imagines sunt diversissimae. Lucretius de duobus vel pluribus fulminibus agit, Ovidius vero non potuit comparare nisi uni fulmini ingenti vi ac celeritate in terram irruenti aprum in venatores ruentem, pluralem autem numerum posuit, ut indicaret, unum quodque fulmen ita in terram ferri. Etiam in eo loco diversissimos esse cernas, quod Lucretius fulmina vocat *abruptos nubibus ignes,* Ovidius vero *ignes excussis nubibus elisos.* Vis enim participii *abruptus* hic non potest esse nisi reflexiva, Ovidius autem nubium concursu facit fulmina e nubibus elidi. Quod vero apud utrumque vox *nubes* reperiatur fulminaque ignea ut a poetis *ignes* vocentur, imitationem ac *conspicuam* quidem esse, nemo opinor putabit.

Mens. Somnus. Hominem fulminis ictu mente privatum Ovidius exhibet trist. I. 3. 11. *non aliter stupui, quam qui Iovis ignibus ictus vivit et est vitae nescius ipse suae.* quam tamen sententiam non ab illo inventam esse usus communis vocis *attonitus* satis monstrat. Idem sentio de *η* 36 *τῶν νέες ὠκεῖαι ὡςει . νόημα* [39]) quam e nostris nemo praeter Theognidem profert. 985. *αἶψα γὰρ ὥστε νόημα παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη.* Imaginem somnii, qua nos etiam

---

[37]) Wilamowitz. analecta Euripidea.

[38]) nives de monte ventis devolutas, quas Gudrunae auctor exhibet 861. 1417 apud poetas, quos hic tractamus, non inveni.

[39]) Xenoph. memorab IV. 13. *θᾶττον νοήματος.*

uti solemus, ut rem fugacem et caducam illustremus, in Romanorum carminibus nusquam inveni, quater apud Graecos. λ 207 *τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ ἔπταт'* Mimnerm. 5, 4. *ἀλλ' ὀλιγοχρόνιον γίγνεται ὥσπερ ὄναρ ἥβη τιμήεσσα* in lusu amatorio, *δαριστύς* qui vocatur, 8. *τάχα γάρ σε παρέρχεται ὡς ὄναρ ἥβη* et in Bionis epitaphio in Adonidem scripto 58 *πόθος δέ μοι ὡς ὄναρ ἔπτη*. Vergl. Aen. XII. 908.

ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
nocte quies, nequiquam avidos extendere cursus
velle videmur et in mediis conatibus aegri
succidimus, non lingua valet, non corpore notae
sufficiunt vires, nec vox aut verba secuntur.

ad Φ 199 mihi expressa esse videntur. Apud unum Theocritum leguntur 2. 108. *οὐδέ τι φωνᾶσαι δυνάμαν, οὐδ' ὅσσον ἐν ὕπνῳ κνυζεῦνται φωνεῦντα φίλαν ποτὶ ματέρα τέκνα* 9. 16. *ἐγὼ δέ τοι, ὅσσ' ἐν ὀνείρῳ φαίνονται, πολλὰς μὲν ὄϊς, πολλὰς δὲ χιμαίρας.* Somnus mollis in comparationibus est Theocr. 5, 51. *ἦ μὰν ἀρνακίδας τε καὶ εἴρια τεῖδε πατήσεις, αἴκ' ἐνθῃς, ὕπνω μαλακώτερα.* 15. 125. *πορφύρεοι δὲ τάπητες ἄνω μαλακώτεροι ὕπνω.* Verg. ecl. 7. 45. *muscosi fontes et somno mollior herba.* somnus dulcis Theocr. 9, 33. *οὔτε γὰρ ὕπνος οὔτ' ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον.* Verg. ecl. 5. 45 *tale tuum nobis carmen, divine poeta, quale sopor fessis in gramine.* Denique quae quidem non imago iusta est, tamen cum etiam a nobis usurpetur, hic locum inveniat Bionis epit. Adonid. 71. *καὶ νέκυς ὢν καλός ἐστι, καλὸς νέκυς οἷα καθεύδων.* : contra imago mortui ad vivum illustrandum adhibetur ab Euphorione (Mein. fr. 157.) *πάντα δέ οἱ νεκυηδὸν ἐλεύκαινον τὰ πρόσωπα.*

Amor. Matrimonium. Amorem viri exhibet Lygdamus 4. 52. (Neaera) *tantum cara tibi, quantum nec filia matri, quantum nec cupido bella puella viro.* Sponsam viso marito rubentem miro consensu Ovidius et Lygdamus et uterque quidem in serie imaginum induxerunt: Lygd. 4. 31.

color in niveo corpore purpureus,
ut iuveni primum virgo deducta marito
inficitur teneras ore rubente genas,
et cum contexunt amarantis alba puellae
lilia et autumno candida mala rubent.

Ov. am. II. 5. 35. *conscia purpureus venit in ora pudor,*
quale coloratum Tithoni coniuge caelum
subrubet aut sponso visa puella novo,
quale rosae fulgent inter sua lilia mixtae

aut ubi cantatis Luna laborat equis,
aut quod, ne longis flavescere possit ab annis,
Maeonis Assyrium femina tinxit ebur.

Quod primum facile credas, Lygdamum hunc locum ad Ovidii exemplum expressisse, fulcrum non habet, nisi in ea re, quod comparatio inepta est neque quae commendet nitorem amatae: sed hoc in tam mediocri poeta magni momenti non est, si reputabis, vix credibile esse, eum, si Ovidii locum ante oculos habuisset, neglexisse et imaginem lunae decantatae et aurorae et pro iis duobus versibus ante simpliciter scripsisse *candor erat qualem praefert Latonia luna* quartam vero imaginem totam abiecisse, in secunda autem pro splendidis rosis induxisse amarantes humiles. Itaque eos sequor, qui Ovidium credunt Lygdami locum memoria tenuisse itaque adhibuisse, ut de suo aliquid adderet. Comparationem Theocr. 12. 5. ὅσσον παρθενικὴ προφέρει τριγάμοιο γυναικός ex communi opinione eum sumpsisse opinor. Quae autem apud eundem exstat imago 8. 91. ὡς δὲ κατεσμύχθη καὶ ἀνετράπετο φρένα λύπᾳ ὥτερος οὕτω καὶ νύμφα γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο[40]) non ad sponsam sed ad nympham a Pane vel Satyro vitiatam pertinet. Apud eum solum etiam exstat imago amantis, qui parentum verba non curat. 9. 18. τῶ δὲ θέρευς φρύγοντος ἐγὼ τόσσον μελεδαίνω, ὅσσον ἐρῶντι πατρὸς μύθων καὶ ματρὸς ἀκούειν.

Parentes et liberi. Patrem filiis praecipientem habes α 307. ἤτοι μὲν ταῦτα φίλα φρονέων ἀγορεύεις, ὥστε πατὴρ ᾧ παιδί Theogn. 1049. σοὶ δ' ἐγὼ οἷά τε παιδὶ πατὴρ ὑποθήσομαι αὐτὸς ἐσθλά. infantem in manibus matris dormientem Cat. 17. 12. *pueri instar bimuli tremula patris dormientis in ulna.* Eiusdem 68. 119.

nam nec tam carum confecto aetate parenti:
una caput seri nata nepotis alit,
qui, cum divitiis vix tandem inventus avitis
nomen testatas intulit in tabulas,
impia derisi gentilis gaudia tollens
suscitat a cano volturium capiti

aliquantulum mihi concinere videtur cum I. 481. καί με φίλησ' ὡσεί τε πατὴρ ὃν παῖδα φιλήσῃ μοῦνον τηλύγετον πολλοῖσιν ἐπὶ κτεάτεσσιν. Amorem matris Lygdamus commemorat 4. 51. *tantum cara tibi*

---

[40]) saepius eandem imaginem Euripides induxit. Γαμεθεῖσ' quod corruptum est Fritzschium induxit, ut virginem desponsatam aut modo nuptam intelligeret, qualis est in carmine nostro populari: komm heraus, komm heraus, o du wunderschöne braut, deine guten tage sind nun alle aus, dein kränzelein hängt so feucht und thränenschwer: o wie weint die wunderschöne braut so sehr.

quantum nec filia matri pluribusque verbis explicuit Horatius pulcherrima imagine c. IV. 5. 9.

ut mater iuvenem, quem Notus invido
flatu Carpathii trans maris aequora
cunctantem spatio longius annuo
dulci distinet a domo,
votis ominibusque et precibus vocat
curvo nec faciem litore dimovet,
sic desideriis icta fidelibus
quaerit patria Caesarem.[41])

qua vix locum delicatiorem per tota Horatii carmina invenias et quae imprimis, ut breviter dicam, monstret Horatium *hominem fuisse* neque vitam suam direxisse ad amussim frigidae illius et inanis sententiae *nil admirari.* Ceterum iam Homerus patrem, qui filium ex itinere redeuntem amplectitur, in comparationem adhibuerat π. 17. ρ. III. Patrem filii mortem lugentem — Ψ 222. *ὡς δὲ πατὴρ οὗ παιδὸς ὀδύρεται ὀστέα καίων νυμφίου, ὅστε θανὼν δειλοῦς ἀκάχησε τοκῆας* — poetae elegiaci neglexerunt, matrem exhibet Ovidius Fast. II. 813. *passis sedet illa capillis, ut solet ad nati mater itura rogum.* Sappho cuius est fr. 38 *ὡς δὲ παῖς πεδὰ μάτερα πεπτερύγωμαι,* haud scio an spectaverit Θ. 271. *αὐτὰρ ὁ αὖτις ἰών, παῖς ὡς ὑπὸ μητέρα, δύσκεν εἰς Αἴανθ',* Theocritus certe 14. 31. *ἁ δὲ Κυνίσκα ἔκλαεν ἐξαπίνας θαλερώτερον ἢ παρὰ ματρὶ πάρθενος ἑξαέτης κόλπω ἐπιθυμήσασα* in brevius contraxit Π. 7:

τίπτε δεδάκρυσαι, Πατρόκλεις, ἠΰτε κούρη
νηπίη, ἥθ' ἅμα μητρὶ θέουσ' ἀνελέσθαι ἀνώγει
εἱανοῦ ἁπτομένη καί τ' ἐσσυμένην κατερύκει,
δακρυόεσσα δέ μιν ποτιδέρκεται ὄφρ' ἀνέληται.

Callim. fr. 11. *γήρασκει δὲ γέρων κεῖνος ἐλαφρότερον,*
κοῦροι τὸν φιλέουσιν, ἑὸν δέ μιν οἷα γονῆα
χειρὸς ἐπ' οἰκείην ἄχρις ἄγουσι θύρην.

filios commemorat patrem deducentes itaque a lapsu servantes, qualis senibus facilius accidit, ut est in Megara 113.

ἀλλ' ἀστεμφὲς ἔκειτο, γέρων ὡσεί τ' ἀμενηνος',
ὅντε καὶ οὐκ ἐθέλοντα βιήσατο γῆρας ἀτερπές
καππεσέειν· χεῖται δ'ὅγ' ἐπὶ χθονὸς ἔμπεδον αὔτως,
εἰσόκε τις χειρός μιν ἀνειρύσσῃ παριόντων
αἰδεσθεὶς ὄπιδα προτέρην πολίοιο γενείου.

Novercam impiam commemorat Horatius epod. 5. 9. *quid ut*

---

[41]) Kiessling fontem imaginis Horatianae carmen Alexandrinum esse suspicatur: sed ipsum, quaeso, inspicias ad hos versus disserentem.

noverca me intueris.[42]) Miram imaginem et quae a gustu nostro abhorreat a philosophis petivit Ovidius met. VII. 125.

utque hominis speciem materno sumit in alvo
perque suos intus numeros componitur infans,
nec nisi maturus communes exit in auras . .

Pueri ludentes. Pueros turbine ludentes Homerum secuti, apud quem est Ξ 413. *στρόμβον δ' ὣς ἔσσευε βαλών*, Tibullus exhibet I. 5, 3.

namque agor ut per plana citus sola verbere turben,
quem celer assueta verset ab arte puer.

et Verg. Aen. VII. 377.

ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
quem pueri magno in gyro vacua atria circum
intenti ludo exercent, ille actus habena
curvatis fertur spatiis: stupet inscia supra
impubesque manus, mirata volubile buxum:
dant animos plagae.

Tangit quoque pueros ludentes Alcman fr. 38. *μάργος δ' Ἔρως οἷα παῖς παίσδει.* Denique quae met. XV. 201 seqq. exstat longius explicata comparatio quattuor aetatum vitae cum quattuor anni temporibus valde mihi redolere videtur sophistarum et rhetorum declamationes in ostentationem scriptas.[43])

Eloquentia bis invenitur in Ovidii comparationibus: a. am. I. 461 *quam populus iudexque gravis lectusque senatus, tam dabit eloquio victa puella manus.* trist. II. 273: *discitur, innocuas ut agat, facundia, causas, protegit haec sontes immeritosque premit.* Qui est apud Vergilium locus Aen. I. 148.

ac velut in magno populo cum saepe coorta est
seditio saevitque animis ignobile volgus,
iamque faces et saxa volant — furor arma ministrat —
tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem
conspexere, silent arrectisque auribus adstant,
ille regit dictis animos et pectora mulcet

non tam facundiam viri laudat, quam auctoritatem. Hic cum Vergilius imaginem plebis seditiosae adhibuerit, ut maris furores

---

[42]) Alias haec imago, quantum equidem scio, non exstat. Sed vix temere Theocriti 8, 15. *οὐ θησῶ ποκα ἀμνόν, ἐπεὶ χαλεπὸς ὁ πατήρ μευ, χὰ μάτηρ, τὰ δε μᾶλα ποθέσπερα πάντ' ἀριθμεῦνται* sic vertit Vergilius: ecl. 3, 33. *est mihi namque domi pater, est iniusta noverca . bisque die numerant ambo pecus.*

[43]) cf. E. Graf. l. l.

describeret, ad plebis mutabilem animum illustrandum maris imagine usus est auctor fr. ad. Bergk. 23.

δῆμος ἄστατον κακόν
καὶ θαλάσσῃ πανθ' ὁμοῖον ὑπ' ἀνέμου ῥιπίζεται
καὶ γαληνὸς ἢν τύχῃ, πρὸς πνεῦμα βραχὺ κορύσσεται,
κἢν τις αἰτία γένηται, τὸν πολίτην κατέπιεν.

Ars medica. Hor. c. II. 14.

crescit indulgens sibi dirus hydrops
nec sitim pellit, nisi causa morbi
fugerit venis et aquosus albo
corpore languor. [44])

ad exemplaria Graeca formatum est. Ovidius membra saucia eamque ob causam tactum reformidantia animo suo comparat, qui in miseriis semper aliquid timeat ex P. II. 7. 13. De Aglauro sensim in saxum mutata hanc habet imaginem met. II. 825. *utque malum late solet immedicabile cancer serpere et illaesas vitiatis addere partes.* [45]) Medicinam et sanare et perdere posse dicit tr. II. 269. *eripit interdum modo dat medicina salutem.* Sucis amaris eam opem ferre, contendit am. III. 11. 8. *saepe tulit lassis sucus amarus opem;* [46]) cui dicto altera ex parte respondet am. II. 19. 26. *stomacho dulcis ut esca nocet.* Denique afferamus Ex P. I. 3. 10 *ut solet infuso vena redire mero.*

Ars magica quamvis saepe in poetarum elegiacorum carminibus nobis obversetur, in comparationibus haud frequens est. Habes Theocr. 2. 48.

ἱππομανὲς φυτόν ἐστι παρ' Ἀρκάσι· τῷ δ' ἐπὶ πᾶσαι
καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν' ὤρεα καὶ θοαὶ ἵπποι·
ὣς καὶ Δέλφιν ἴδοιμι.

cui addamus Hor. c. I. 25. 14. *cum tibi flagrans amor et libido, quae solet matres furiare equorum, saeviet circa iecur ulcerosum,* quamquam hic verbenae non fit mentio. Habes lunam decantatam Ov. am, II. 5. 38 *aut ubi cantatis luna laborat equis.* met. IV. 332. *(hic color) sub candore rubenti, cum frustra resonant aera auxiliaria lunae.*

---

[44]) videas philosophorum locos, quos Kiessling ad hunc locum notavit.

[45]) hic deprompsit bonus pater Abraham a St. Clara, quae in libello, Auff, auff, ihr Christen cui inscribitur, habet: Amurath der dritte Türckische Monarch haust in Griecheuland dergestalten, dass sich männiglich müsste vor ihm verkriechen, nicht ungleich einem umbfressenden Krebsen im Leib.

[46]) unde sine dubio fluxerunt quae A. Gryphius, vir doctissimus et Ovidii amantissimus scripsit in Leone Armenio I. 552. die Artzney, welch erquickt und kräncket.

Ars musica. Sonitum tibiae Moschus in carmine, „Europa" quod inscribitur inepte comparat cum bovis mugitu 97. *Αὐτὰρ ὁ μειλίχιον μυκήσατο· φαῖὸκεν αὐλοῦ Μυγδονίου γλυκὺν ἦχον ἀνηπύοντος ἀκούειν.* Fistulae formam Ovidius adhibet. met. VIII 191. *„Sic rustica quondam fistula disparibus paulatim surgit avenis"* et ibid. XII. 481 tympani sonitum: *„aut si quis parvo feriat cava tympana saxo."* Apud Priapeorum auctores bis invenimus obscenam imaginem *cithara tensior* 6, 5, 68, 16. Citharoedos, qui vel carcere clausi de libidinibus saltem cogitent, spectat 77, 18 *nunc vitam perago — quis hoc putaret? — ut clusus citharoedus abstinentem.*

Ars pingendi. Quod etiam apud nos saepe fit, ut facies perpulcra quasi picta esse dicatur, [47]) exstat quidem apud veteres — ut in Aeschyli Agamemnone 240 *Πρέπουσ' ὅπως ἐν γραφαῖς* poetae elegiaci autem certam semper formam spectaverunt. Prop. I, 2, 22 *sed facies aderat, nullis obnoxia gemmis, qualis Apelleis est color in tabulis.* Ov. am. III, 2, 31, *talia pinguntur succinctae crura Dianae, cum sequitur fortes fortior ipsa feras.* met. X. 515 *qualia namque corpora nudorum tabula pinguntur Amorum, talis erat.* Subiciamus hic, quae de arte vestes tingendi imagines sunt Hor. c: III, 5, 27 *neque amissos colores lana refert medicata fuco et* — si hunc locum hic afferre licet — Ov. met. X, 595 *haud aliter, quam cum super atria velum candida purpureum simulatas inficit umbras.*

Ars statuaria. Etiam statuae in comparationibus locum habent. Theocr. 22, 47 *στήθεα δ' ἐσφαίρωτο πελώρια καὶ πλατὺ νῶτον σαρκὶ σιδηρείῃ, σφυρήλατος οἷα κολοσσός,* materiam spectat, Prop. III. 1, 21 *ut caput in magnis ubi non est tangere signis, ponitur hic imos ante corona pedes,* magnitudinem, certum genus statuarum Cat. 64, 61 *quem procul ex alga maestis Minois ocellis, saxea ut effigies Bacchantis prospicit.* Quam autem 81, 4 habet imaginem *inaurata pallidior statua* componere liceat cum Theocr. 2, 110. *ἀλλ' ἐπάγην δαγῦδι καλὸν χρόα πάντοθεν ἶσα* cum ambo loci pallidum colorem spectent. Ov. met. 15, 169.

Utque novis facilis signatur cera figuris,
Nec manet, ut fuerat, nec formas servat easdem,

---

[47]) hoc etiam imagines, quae in Gudruna 660, 1601 itemque in Nibelungis exstant, significant, neque intellego cur Frommannus in programmate Buedingensi 1882 contemptim eas abiecerit.

[48]) Retinet nimirum facies hominis sub meridiano caelo degentis, etiamsi pallescit, fulvum colorem.

Sed tamen ipsa eadem est, animam sic semper eandem
Esse sed in varias doceo migrare figuras.

suspicor, ut totum hunc locum, e philosophorum libris fluxisse.

Artes fabriles. Carpentarium commemorat Theocritus 25, 247.

ὡς δ'ὅτ' ἂν ἁρματοπηγὸς ἀνὴρ πολέων ἴδρις ἔργων
ὅρπηκας κάμπτῃσιν ἐρινεοῦ οἰκεότοιο,
θάλψας ἐν πυρὶ πρῶτον· ἐπαξονίῳ κύκλα δίφρῳ
τοῦ μὲν ὑπὲκ χειρῶν ἔφυγεν τανύφλοιος ἐρινεός
καμπτόμενος τηλοῦ δὲ μιῇ πήδησε σὺν ὁρμῇ

spectans *Δ.* 485 *τὴν μέν θ' ἁρματόπηγος ἀνὴρ αἴθωνι σιδήρῳ*
ἐξέταμ', ὄφρα ἴτυν κάμψῃ περικαλλέϊ δίφρῳ

Fabrum aerarium Anacreon induxit fr. 47. *Μεγάλῳ δηὖτε μ' Ἔρως ἔκοψεν ὥςτε χαλκεὺς πελέκει.* Verg. Georg. IV. 263 *aestuat, ut clausis rapidus fornacibus ignis.* Ov. met. IV. 122

Non aliter, quam cum vitiato fistula plumbo
Scinditur et tenui stridente foramine longas
Eiaculatur aquas atque ictibus aera rumpit.

Idem met XX. 170

ipse cruor, gelido ceu quondam lamina candens
tincta lacu stridit coquiturque ardente veneno

et ibid. XII. 276

terribilem stridore sonum dedit, ut dare ferrum
igne rubens plerumque solet, quod forcipe curva
cum faber eduxit, lacubus demittit, at illud
stridet et in tepida summersum sibilat unda.

ante oculos habuit 391

ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ χαλκεὺς πέλεκυν μέγαν ἠὲ σκέπαρνον
εἰν ὕδατι ψυχρῷ βάπτῃ μεγάλα ἰάχοντα
φαρμάσσων.

Quae leguntur met. XV. 303 *ceu spiritus oris tendere vesicam solet aut direpta bicornis terga capri* ad utrium atque culleorum fabricationem revocanda esse, nemo non intellegit.

Materias, quibus opifices uti solent, saepe poetae in carmina induxerunt. Aurum pretiosum habes Cat. 107, 3 *nobisque est carius auro.*[49]) Ov. am. III. 8, 3 *ingenium fuerat quondam preciosius auro.* Z. 232.

ὡς δ'ὅτε τις χρυσὸν περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνὴρ
ἴδρις, ὃν Ἥφαιστος δέδαεν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη
τέχνην παντοίην, χαρίεντα δὲ ἔργα τελείῃς,

---

[48]) Osai. XIII, 12 Pretiosior erit vir auro.

imitatus est Virgilius Aen. I. 592 *aut ubi flavo argentum Pariusve lapis circumdatur auro, ita ut de suo* marmor adderet. Auri flavi colori comparavit crinium flavorum colorem Alcman. 23, 54

„ἁ δὲ χαίτα
τᾶς ἐμᾶς ἀνεψιᾶς
Ἀγησιχόρας ἐπανθεῖ
χρυσὸς ὡς ἀκήρατος

Quod apud Alcmanem ἀκήρατος dicitur, sive probum, ut Romani dicunt, plumbo probatum esse, num esset aurum, habes Theogn. 417, 1105. Simonid. 64, coticula Theogn. 449 Bacchylid. fr. 22. Theocr. 12, 36 frgm. quod Chilonis sub nomine circumfertur, denique igni, quo etiam argentum probabatur, Theogn. 499 ἐν πυρὶ μὲν χρυσόντε καὶ ἄργυρον ἴδριες ἄνδρες γινώσκουσ', Ov. trist I. 5, 25 *scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum.*

Quod omnibus, quos modo attuli, locis poëtae aurum quod probatur, homini comparaverunt, cuius quis periculum facit, adducit me, ut credam, hanc communem sententiam corrigere voluisse Euripidem, cum scriberet, Med. 5, 16

ὦ Ζεῦ τί δὴ χρυσοῦ μὲν ὃς κίβδηλος ᾖ
τεκμήρι' ἀνθρώποισιν ὤπασας σαφῆ,
ἀνδρῶν δ' ὅτῳ χρὴ τὸν κακὸν διειδέναι
οὐδεὶς χαρακτὴρ ἐμπέφυκε σώματι;

E ceteris metallis ferrum compluriens locum habet in comparationibus, semper autem duritei causa inducitur Υ, 372 . . ἔοικε μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ δ. 293 κραδίη σίδηρέη. Ov. met 14, 712 *durior et ferro, quod Noricus excoquit ignis.* Ipsam hanc duritiem rubigine victam exhibet Propertius III 20, 15 *teritur rubigine mucro ferreus;* usu consumptam Ovidius quater: A. am. I, 473, III, 91 ex P. II, 7, 43, IV, 10, 5. Ebur,[50]) quod antea una cum auro in similitudinem adhibitum esse vidimus, quinquies praeterea locum habet in nostrorum poetarum carminibus. Ex Δ 141 ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ Μῃονὶς ἠὲ Κάειρα, fluxerunt Verg. Aen. XII. 67 „*Indum sanguineo veluti violaverit ostro siquis ebur.*" Ov. am II. 5, 39 *aut, quod ne longis flavescere possit ab annis, Maeonis Assyrium femina tinxit ebur*[51]) id. met. IV. 332 *hic color . . . . aut ebori tincto est.* Ebur ligno inclusum exhibet

---

[50]) Eboris candidus color, quem nos in comparatione vocare solemus apud Homerum in imagine est σ 196.

λευκοτέρην δ' ἄρα μιν θῆκε πριστοῦ ἐλέφαντος.

[51]) Causam cur ebur tingatur, primus addidit Ovidius. Vellem non fecisset; nam ea addita omnem imagini suavitatem detersit.

Verg. Aen. X. 135 *quale per artem inclusum buxo aut Oricea terebintho lucet ebur*, ebur vitro tectum Ov. met IV. 354 *ut eburnea si quis signa tegat claro vel candida lilia vitro.* Cum iam veteres, nisi caeci fuerint, vidisse, quam vitrum sit splendidum, verisimile est, Zingerleo non assentior, cui „für das wechselseitige Verhältniss sehr bezeichnend" est,[52]) quod apud Horatium c. III. 13, 1 et Ovidium met. XIII. 791 exstet *„splendidior vitro."* Ut ebur ita etiam marmor a poetis ad coloris comparationes adhibitum est. Sunt autem, ut apud aurum, duo disiungenda genera. Alterius splendorem, quod respicit, exemplar inveni apud Theocritum VI, 37 *τῶν δέ τ'ὀδόντων λευκοτέραν αὐγὰν Πάριας ὑπέφαινε λίθοιο*[53]) et apud Horatium c. I, 19, 6 *urit me Glycerae nitor splendentis Pario marmore purius.* alterius unum modo afferre possum Ov. am. I, 7, 52

Astitit illa amens albo et sine sanguine vultu
caeduntur Pariis qualia saxa iugis.

ubi pentametro illud albo vultu definitur. Quod autem Washietlius hac imagine etiam adiectivum amens illustrari putat, equidem probare haud velim. Quamquam non ignoro Ovidium homines magno stupore affectos et amentes lapidibus comparare, ut est met. III 419. *haeret, ut e Pario formatum marmore signum*, quem locum primum affero, quia Narcissus non simpliciter immotus, ut lapis fuisse dicitur, sed ut statua e marmore formata, itaque hac imagine poëta lepidus etiam pulcritudinem adulescentis aliquatenus indicare studuit. Quae vero leguntur, her. X. 50 *quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui* et met. V. 509 *mater ad auditas stupuit ceu saxea voces*, non nisi stuporem respiciunt. Graecorem hanc imaginem Theognis habet 568. *κείσομαι ὥςτε λίθος ἄφθογγος.* Eadem lapidum vis ad duritiem animi illustrandam usurpatur Meg. 44 *μόχθων τοὺς ἐπὶ γαῖαν ἀλώμενος ἠδὲ θάλασσαν μοχθίζει πέτρης ὅγ' ἔχων νόον ἠὲ σιδήρου κάρτερον ἐν στήθεσσιν.* Hor. e. III, 7, 21 *scopulis surdior Icari:* Verg. Aen. VI. 471 *nec magis incepto vultum sermone movetur, quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.* Ov. met. XIII. 713 *durior et saxo quod adhuc vivum radice tenetur.*[54]) Gravior etiam fit imago si saxum ab undis circumsonatum describitur, ut est O 618

ἴσχον γὰρ πυργηδὸν ἀρηρότες, ἠΰτε πέτρη
ἠλίβατος μεγάλη, πολιῆς ἁλὸς ἐγγὺς ἐοῦσα,
ἥτε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα
κύματά τε τροφόεντα, τάτε προςερεύγεται αὐτήν.

---

[52]) Zingerle Ovid und sein Verhältniss.

[53]) Pind. Nem. IV 81 *στάλαν θέμεν Παρίου λίθου λευκοτέραν.*

[54]) Eur. Med. 28 *ὡς δὲ πέτρος ἢ κλύδων θαλάσσιος ἀκούει*

Aen. VII 586 *ille velut pelagi rupes immota resistit,*
ut pelagi rupes magno veniente fragore
quae sese multis circumlatrantibus undis
mole tenet scopuli nequicquam et spumea circum
saxa fremunt laterique illisa refunditur alga
Aen. X 693 *ille velut rupes, vastum quae prodit in aequor*
obvia ventorum furiis, expostaque ponto
vim cunctam atque minas perfert caelique marisque,
ipsa immota manens.

Ov. rem. am. 692 *ut lapis aequoreis undique pulsus aquis* met. IX. 40, *haud secus ac moles magno quam murmure fluctus oppugnant, manet illa suoque est pondere tuta.* XI. 330 *quae pater haud aliter, quam cautes murmura ponti accipit* XIII 801, *his immobilior scopulis.* Hanc imaginem Euphorio quoque si quid video adhibuit in eo libro, quem contra Theodoridam scripsit. Est enim fr. 3

ζάψ δὲ ποτὶ σπιλάδεσσιν νεῶν ὀλέτειρα κακύνει ubi Meineckius pro *κακύνει* verbum requirit, quale est *καχλάζειν*. Ego pro *κακύνει* lego *κακύνῃ*. est enim fr. ex comparatione desumptum, cuius hic fortasse fuerit cursus: ut aestus licet naves perdere possit — ita enim *νεῶν ὀλέτειρα* vertendum esse puto — nihil valet in saxi molem frustraque eam allidit, ita tu quoque, Theodorida, licet viles vincas scriptores, in me nihil vales. Et ne cui videatur inusitatius dici *ζάψ κακύνεσθαι* eadem sententia extra comparationem est apud Horatium c. I. 11, 5 *hiems, quae nunc oppositis debilitat mare pumicibus.* Saxa cadentia exhibentur Aen. 9, 710 *talis in Euboico Baiarum litore quondam saxea pila cadit.* XII. 684. *„ac veluti montis saxum de vertice praeceps cum ruit avulsum vento seu turbidus imber proluit aut annis solvit sublapsa vetustas“.* Etiam lapidis fit usus in comparationibus, ut temporis quae sit etiam in res durissimas vis et potentia, illustretur: Tib. I, 4, 18 *longa dies molli saxa peredit aqua,* Prop. III 20, 16 *teritur parvo saepe liquore silex,* id. V. 5, 19. *exorabat opus verbis ceu blanda pererrat saxosamque terit sedula lympha viam.* Ov. a. am. I. 475 *quid magis est saxo durum, quid mollius unda, dura tamen molli saxa cavantur aqua,* ibid. III. 91 *silices tenuantur ab usu* c. P. I. 1, 70. *aequorei scopulos ut cavat unda salis* ibid. II, 7, 39 *utque caducis percussu crebro saxa cavantur aquis,* ibid. IV. 10, 5 *gutta cavat lapidem.* Sucini vitream perspicuitatem leviter attingit Callimachus hym. in Dem. 29, *τὸ δ’ὥστ’ ἀλέκτρινον ὕδωρ ἐξ ἀμαρᾶν ἀνέθυε.* Gemmas quibus poetae nostrates in imaginibus lubentissime utuntur fingendis, ab uno Vergilio commemorantur Aen. X. 134 *qualis gemma micat fulvumque dividit aurum aut collo decus aut*

capiti. Denique qui etiam apud nos frequens est usus duritiem cuiusdam rei adamanti comparandi iam apud Theocritum invenitur II. 34. *τὺ δ' Ἄρτεμι καὶ τὸν ἀναιδῆ κινήσαις ἀδάμαντα* [55]) III. 39 *καί κέ μ' ἴσως ποτίδοι, ἐπεὶ οὐκ ἀδαμαντίνα ἐστίν.*

Theatrum, ludi. Imaginibus ab opificibus quas deductas enumeravimus, eas adiungamus, quas e theatro ludisque in carmina sua poetae elegiaci induxerunt. Unica quae theatrum spectat imago legitur met. III. 111

Sic ubi tolluntur festis aulaea theatris,
surgere signa solent primumque ostendere vultus,
cetera paullatim, placidoque educta tenore
tota patent imoque pedes in margine ponunt.

Permultae contra exstant imagines ad equorum cursus pertinentes. Gloriam Thessalicorum equorum spectat Theocr. 18, 30

πιείρᾳ μέγα λᾶον ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ
ἢ ἅρματι Θεσσαλὸς ἵππος.

equos frena recusantes Ov. her. 4, 22 *frenaque vix patitur de grege captus equus,* trist. V, 4, 16 *more nec indomiti frena recusat equi* Hor. c. III. 11, 9 *quae velut latis equa trima campis ludit exsultim metuitque tangi.* os durius Ov. am I. 2, 15 *asper equus duris contunditur ora lupatis.* ibid. II. 9, 29 *ut rapit in paeceps dominum spumantia frustra frena retentantem durior oris equus.* equum vincula abrumpentem Z. 506

ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
δεσμὸν ἀπορρήξας θείῃ πεθίοιο κροαίνων
εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋρρεῖος ποταμοῖο,
κυδιόων· ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
ὤμοις ἀΐσσονται· ὁδ' ἀγλαΐηφι πεποιθὼς,
ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων.

Verg. Aen. XI. 492. qualis ubi abruptis fugit praesaepia vinclis
tandem liber equus campoque potitus aperto
aut ille in pastus armentaque tendit equarum
aut adsuetus aquae perfundi flumine noto
emicat arrectisque fremit cervicibus alte
luxurians, luduntque iubae per colla, per armos.

Tempore opus esse ad equos bene instituendos habes a. am. I. 472 *tempore lenta pati frena docentur equi.* Ubi educatio equi per-

---

[55]) ἀναιδῆ coniecit Taylor. In codd. est ἐν ἅδη e. p. ἐν ἅδα k. Call Versus sane corruptus est, sed haud scio, an vox Ἀίδης in eo fuerit, praesertim cum adamantis apud inferos mentionem etiam Propertius faciat V. 11. 3. *cum semel infernas intrarunt funera leges, non exorato stant adamante viae* qui locus Graecam spirat religionem.

fecta est, instituitur, ut in ludis currat. Impatiens vix exspectare potest, ut carceres reserentur Ov. trist. V, 9, 29 *utque fores nondum reserati carceris acer nunc pede nunc ipsa fronte lacessit equus* — neque aliter se gestit, ubi pugnae signum datur: met. III. 704 *ut fremit acer equus, cum bellicus aere canoro signa dedit tubicen pugnaeque assumit amorem* — et celeriter curriculum pervolat, ut est ν 81

. . . ὡς τ᾽ ἐν πεδίῳ τετράοροι ἄρσενες ἵπποι
πάντες ἅμ᾽ ὁρμηθέντες ὑπὸ πληγῇσιν ἱμάσθλης
ὑψόσ᾽ ἀειρόμενοι ῥίμφα κρήσσουσι κέλευθον,

Verg. Georg. I. 512 *ut cum carceribus sese effudere quadrigae*
addunt in spatia, et frustra retinacula tendens
fertur equis auriga neque audit currus habenas.

Aen. V. 144 *non tam praecipites biiugo certamine campum*
corripuere ruuntque effusi carcere currus,
nec sic immissis aurigae undantia lora
concussere iugis pronique in verbera pendent.

Equi quasi praemii cupidi in imagine sunt Ov. her 17, 166 *protinus illa valent atque ad sua praemia tendunt, ut celer Eleo carcere missus equus.* Causae cur equis haud contingat interdum, victores exire Ov. tr. V. 12, 25 *tempore qui longo steterit male curret et inter carceribus missos ultimus ibit equus* Ex. P. I. 4, 15 *occidet ad Circi si quis certamina semper non intermissis cursibus ibit equus.* Equum ob victoriam superbum secuti X 22

σευάμενος ὥσθ᾽ ἵππος ἀεθλοφόρος σὺν ὄχεσφιν
ὅς ῥάτε ῥεῖα θέῃσι τιταινόμενος πεδίοιο.

exhibent Simonid. Amorg. fr. 18 *καὶ σαῦλα βαίνων ἵππος ὡς κορωνίης* et Alcman. 23, 47 *ἐκπρεπὴς τώς, ὥπερ αἴ τις ἐν βοτοῖς στάσειεν ἵππον παγὸν ἀεθλοφόρον καναχάποδα.* Equus senio confectus in comparationibus est Ibyc. II, 5 *καλλικόμων μελέδημα, σὲ μὲν Κύπρις ἅ τ᾽ ἀγανοβλέφαρος Πειθὼ ῥοδέοισιν ἐν ἄνθεσι θρέψαν.* Tibull. I. 4, 31 *quam iacet infirmae venere ubi fata senectae, qui prior Eleost carcere missus equus* Ov. am. 2, 29 *fessus in acceptos miles deducitur agros, mittitur in saltus carcere liber equus,* met. 7, 542 *acer equus quondam magnaeque in pulvere famae degenerat palmas veterumque oblitus honorum ad praesaepe gemit leto moriturus inerti.* trist. IV. 8, 19 *ne cadat et multas palmas inhonestet adeptas languidus in pratis gramina carpit equus.* E ceteris ludis imagines fluxerunt, quas legimus met. X. 11, 102

haud secus exarsit, quam circo taurus aperto
cum sua terribili petit irritamina cornu,

puniceas vestes elusaque vulnera sentit

et quae gladiatores et luctatores spectant trist. IV. 6, 31 *fortior in fulva novus et luctator arena,*

quam cui sunt tarda brachia fessa mora
integer est melior nitidis gladiator in armis,
quam cui tela suo sanguine tincta madent.

am. II. 9, 29 *tutaque deposito poscitur ense rudis.*

Res militaris. A gladiatoribus facilis est aditus ad comparationes rem militarem spectantes. De ducibus agit Ovidius met. XIII. 367 *quanto dux milite maior, tantum ego te supero* et a. am. III. 525

quis vetat a magnis ad res exempla minores
sumere nec nomen pertimuisse ducis?
dux bonus huic centum commisit vite regendos,
huic equites, illi signa tuenda dedit:
vos quoque de nobis quem quisque erit aptus ad usum
inspicite et certo ponite quemque loco.

Quae comparatio inter eas habenda est, quibus me iudice vim quandam comicam Ovidius in legentes exercere vult, cum magnas gravesque res adhibeat ad inania et futilia illustranda. Militem ad tubae sonitum quasi vigorem induentem videmus apud eundem ex Ponto III, 4, 32 *tamque ego sumpsissem tali clamore vigorem, quam rudis audita miles ad arma tuba,* paullatim contra vires sumentem Ib. 47 *utque petit primo plenum flaventis arenae nondum calfacti militis hasta solum.* Milites ad pugnam instructos habes Verg. Aen. XII 124. Sermoni vulgari adtribuendae sunt imagines a funda desumptae Ov. met. II, 727 *non secus exarsit quam cum Balearica plumbum funda iacit: volat illud et incandescit eundo et, quos non habuit, sub nubibus invenit ignes* ibid. IV. 709 *tantum aberat scopulis quantum Balearica torto funda potest plumbo medii transmittere caeli.* ibid. XIV. 825 *corpus mortale per auras dilapsum, tenues ut lata plumbea funda missa solet medio glans intabescere caelo* et a sagitta [56]) ibid. VIII 695 *tantum aberant summo quantum semel ire sagitta missa potest* ibid X. 588 *quae quamquam Scythica non secius ire sagitta Aonio visa est iuveni* Verg. Aen. XII. 856

non secus ac nervo per nubem impulsa sagitta,
armatam saevi Parthus quam felle veneni
Parthus sive Cydon telum immedicabile torsit,
stridens et celeris incognita transsilit umbras.

[56]) eundem ad finem usurpantur *δόρυ Ο* 358 *αἰγανέη Π* 589 *δίσκος Ψ* 431 *καλαύροψ Ψ* 845.

Quam vero de sagittis Vergilius habet imaginem Georg. IV. 313 *erupere . . ut nervo pulsante sagittae prima levis ineunt siquando proelia Parthi* eam ob causam seorsum proferenda est, quod quae saepe densa cadentia nivibus vel graminibus comparantur hoc loco ipsa in imaginem venerunt tela. Simplex est imago scuti *Λ* 485 φέρων σάκος ἠΰτε πύργον Megara 107. αἰεὶ δὲ προπάροιθεν ἑοῦ χροὸς γέρρον νώμασκεν μακέλλην. Hostem turres[57]) aggredientem invenies apud unum Vergilium Aen. V. 439. Saepius ballista — *tormento tensior* est in Priapeis VI. 5 — commemoratur et a Vergilio qui saxa spectat ballistis iacta Aen. XI. 616 XII. 921 et ab Ovidio met. XI. 508 *nec levius pulsata sonat quam ferreus olim cum laceras aries ballistave concutit arces.* trist. I. 2, 48 *nec levius laterum tabulae feriuntur ab undis, quam grave ballistae moenia pulsat onus.* Idem habet militem moenia ascendentem met. XI. 525 ut *miles numero praestantior omni, cum saepe assiluit defensae moenibus urbis.*

Verg. Aen. IV. 669 *non aliter quam si immissis ruat hostibus omnis Carthago aut antiqua Tyros flammaeque furentes culmina perque hominum volvantur perque deorum* et Ov. tr. I. 3. 26 *si licet exemplis in parvo grandibus uti, haec facies Troiae, cum caperetur, erat* at X. 410 ὡς εἰ ἅπασα Ἴλιος ὀφρυόεσσα πυρὶ σμύχοιτο κατ᾽ ἄκρης formaverunt poetae. Eandem imaginem, ut Cynthiae furores illustret, Propertius exhibet V. 8. 56. *spectactum capta nec minus urbe fuit.* Veteranos Ovidius induxit trist. IV. 8. 21. *miles ut emeritis non est satis utilis annis, ponit ad antiquos, quae tulit, arma lares* et am. II. 9. 19. *fessus in acceptos miles deducitur agros.* Praeterea huc revocandum est totum alterius amorum libri carmen nonum, per quod amantis cum milite comparationem feliciter persequitur poeta.

Res navalis. In imagines huc pertinentes idem cadit quod in imagines de mari depromptas, rariorem esse earum usum apud poetas elegiacos. Colorem nautarum Ovidius commemorat a. am. I. 723 *candidus in nautis turpis color: aequoris unda debet et a radiis sideris esse niger.* Navigationem fluviatilem Vergilius Georg I. 201.

non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
remigiis subigit, si bracchia forte remisit
atque illum praeceps prono rapit alveus amni.

et Ovidius tr. IV. 1. 7. *(hoc est cur) cantet et innitens limosae*

---

[57]) turres Iudaei saepius commemorant, ut Prov. 8. 10, similemque in modum Callinus 20: ὥσπερ γάρ μιν πύργον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶσιν.

pronus arenae adverso tardam qui trahit amne ratem. Quibus versibus qui subiunguntur *quique refert pariter lentos ad pectora remos, in numerum pulsa bracchia versat aqua,* etiam ad navigationem maritimam mihi pertinere videntur. Comparationes ad rectionem navium pertinentes habes Tib. I. 9. 9. *lucra petituras freta per parentia ventis ducunt instabiles sidera certa rates.* Verg. Georg. IV. 195 *et saepe lapillos, ut cumbae instabiles fluctu iactante saburram tollunt.* Ov. met. II. 163 *utque labant curvae iusto sine pondere naves perque mare instabiles nimia levitate feruntur.* met. XIII. 366 *quantoque ratem qui temperat anteit remigis officium.* Celeritatem navis in similitudines induxerunt Moschus 1. 130. *ταρσὸν ἀναπλώσας ὡς εἰ τέ τις ὠκύαλος νηῦς* et Ovidius met. IV. 706 *ecce velut navis praefixo concita rostro sulcat aquas iuvenum sudantibus acta lacertis.* Imaginem gubernatoris antennas demittentis habes met. VI. 231. *veluti cum praescius imbris nube fugit visa pendentiaque undique rector carbasa deducit, necqua levis effluat aura.* Quod cur faciat idem in imaginem vertit tr. III. 4. 9. *effugit hibernas demissa antenna procellas lataque plus parvis vela timoris habent.* Navem undis abreptam non inveni in comparationibus nisi am. II. 4. 8 *auferor ut rapida concita puppis aqua.* navem contra ventis agitatem Cat. 25. 12. et *insolenter aestues velut minuta magno deprensa navis in mari vesaniente vento.* Ov. am. II. 109. *errant ut ventis discordibus acta phaselus.* met. VIII. 470. *utque carina, quam ventus ventoque rapit contrarius aestus vim geminam sentit paretque incerta duobus.* navem ab ipsa ora vi ventorum in altum reiectam Ov. am. II. 9. 31. *ut subitus prope iam prensa tellure carinam tangentem portus ventus in alta rapit.* navem procellas feliciter effugientem Cat. 68. 63. *hic velut in nigro iactatis turbine nautis lenius aspirans aura secunda venit iam prece Pollucis, iam Castoris implorata.* Omibus e periculis ut feliciter redeant nautae, ut est Verg. Georg. I. 303. *ceu pressae cum iam portum tetigere carinae puppibus et laeti nautae imposuere coronas* utiliores esse novas naves Ovidius contendit tr. IV. 6. 35. *fert bene praecipites navis modo facta procellas, quamlibet exiguo solvitur imbre vetus.* Idem naves in navalia deductas habet am. II. 9. 21. *longaque subductam celant navalia pinum trist.* IV. 3. 17. *in cava ducuntur quassae navalia puppes.* et non minus aeternam navigationem atque aeternam quietem iis periculosam esse contendit. tr. V. 12. 27. *vertitur in teneram cariem rimisque dehiscit, si qua diu solitis cumba vacarit aquis.* ex P. I. 4. 17: *firma sit illa licet, solvetur in aequore navis, quae nunquam liquidis sicca carebit aquis.*

Itinera terrestria in similitudinibus rarissime inveniuntur. Ovidius se viatori comparat Fast. V. 3 *ut stat et incertus, qua sit sibi, nescit, eundum,*[58]) cum Theocritus item dubius, unde carmen ordiatur, se comparet homini incerto, quamnam arborem primam caedat 17. 9. Sed etiam apud Theocritum viator est in imagine 12. 8[59]): *σκιερὰν δ'ὑπὸ φαγὸν ἀελίου φρύγοντος ὁδοιπόρος ἔδραμον ὥς τις.* Itinera vehiculis facta Ovidius commemorat her 17. 34 *iam patet attritus solitarum limus aquarum non aliter multa quam via pressa rota* et ex P. II. 7. 44 *nec magis est curvis Appia trita rotis.*

Venationem proximum, de quo ageremus, nobis proposuimus, cuius imagines poetae latini aeque atque in arte equitandi e Graecorum, imprimis ex Homeri carminibus hauserunt.[60]) Quod luculenter Propertii ipsius confessio docet. Nempe poeta, ubi dixit, se iam venationi se dediturum III. 12. 17

ipse ego venabor, iam nunc me sacra Dianae
suscipere et Veneri ponere vota iuvat:
incipiam captare feras et reddere pinu
cornua et audaces ipse monere canes

quasi ipsa sui iactantia pudorem ei suffunderet, addit ibid. 21.

---

[58]) qui locus certe Hebelio meo obversatus non est, cum scriberet aureum illud

und wenn Den amme Chrüzweg stohsch
und nümme weisch, wo's ane goth,
halt still und frog di Gwisse zerst
's cha dütsch, Gottlob! und folg si'm Roth.

[59]) ad quem locum docte et copiose Vahlenus disseruit in indice schol. aest. Berol. 1885, ut demonstraret, σκιερὰν ὑπὸ φαγὸν ἀελίου φρύγοντος ἔδραμον esse metaphoram, ad quam ὡς ὁδοιπόρος τις accederet, ut *patefacta eius origine, audacia si qua esset metaphorae mitigaretur.* Quamquam, confiteor, mihi non persuasit vir doctus, ita rem se habere. Neque enim offendo, quod poeta ad *cucurri* non addiderit in *complexum tuum* neque hic requiro, quod si in soluta oratione deesset, mancam redderet sententiam. Etenim amantem Theocritus facit loquentem summo gaudio percussum, quod modo in sinum receperit puerum amatum, qui per tres dies ab eo aberat. — Ipso illo τριτῇ σὺν νυκτὶ καὶ ἀοῖ, primo versu quod legitur, aptissime indicatur, quam longum fuerit amanti hoc tridui spatium. [cf. Dioscorid. XII 171. ὡς καὶ ὁ μικρὸς μυριέτης κέκριται τῷ φιλέοντι χρόνος.] nos diceremus *drei ganze lange tage.* Talem igitur hominem facile haud dedeceat, primum longa illa imaginum serie omnes suas delicias ob reditum effundere et aspectum pueri, tum vero, cum de se agat, simpliciter addere ἔδραμον. Quonam curreret amans, nisi ad amatum? Ita locum mihi interpretanti omnino non adversatur vetus interpres graecus, cuius haec sunt verba: *ἐπαινέσαι ἄν τις ἐκ τῆς παραβολῆς τὸν ποιητήν. παραβάλλει γὰρ τῷ μὲν πόθῳ τὸ καῦμα, τῇ δὲ παρουσίᾳ τοῦ ἐρωμένου φηγὸν κατασκιάζουσαν:* quae ut in metaphoram, ita etiam in comparationem optime quadrant.

[60]) cf. Wilamowitzii Homer. Unters. p. 88. adn. 1.

non tamen ut vastos ausim temptare leones,
aut celer agrestes comminus ire sues:
haec igitur mihi sit lepores audacia molles
excipere et stricto figere avem calamo.

Apud Catullum imagines de venatione desumptae non exstant, quod vero Tibullum attinet, cuius quam fortis fuerit animus, ipse demonstrat, haecce quasi singultans I. 10. 11

tunc mihi vita foret dulcis nec tristia nossem
arma nec audissem corde micante tubam:
nunc ad bella trahor et iam quis forsitan hostis
haesura in nostro tela gerit latere

et quod Ovidium attinet, qui ipse *graciles artus* suos vocat et cui vires non erant nisi e voluptate altae (am. II. 10. 25), non facile quis credat, magis pronos eos ad pericula venationis fuisse, atque Propertium. Itaque, quae de his rebus proferunt, nisi in circo viderunt, e graecis desumpserunt carminibus, omnesque bestiae, quas inducunt, feris Homericis genitae esse putandae sunt. Sed priusquam dispiciamus, ferae quales sint in comparationibus, pauca colligamus ea, quae ad venatores referenda sunt. Quorum sagittas Theocritus habet 25. 245 *κυρτὴ δὲ ῥάχις γένετ' ἠΰτε τόξον.* plagas autem 8. 28 *(δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακόν) ἀγροτέροις δὲ λίνα.* Quas ut recte ponat venatorem scire debere, ubi ferae lubentissime versantur, apud Ovidium in iocosa comparatione est a. am. I. 45 *scit bene venator, cervis ubi retia tendat, scit bene, qua frendens valle moratur aper.* Idem cum scriberet, quae leguntur am. II. 9. 9 *venator sequitur fugientia, capta relinquit semper et inventis ulteriora petit* ante oculos habuit Callimachi epigr. 31. *ὡγρευτής, Ἐπίκυδες, ἐν οὔρεσι πάντα λαγωὸν διφᾷ καὶ πάσης ἴχνια δορκαλίδος στείβῃ καὶ νιφετῷ κεχαρημένος, ἢν δέ τις εἴπῃ ‚τῇ τόδε βέβληται θηρίον' οὐκ ἔλαβεν.* Beluam venatorem trucibus oculis spectantem faciunt Theocr. 23. 10 *οἷα δὲ θὴρ ὑλαῖος ὑποπτεύῃσι κυνάγως* et Callim. i. Dem. 50 *τὰν δ'ἄῤ ὑποβλέψας χαλεπώτερον ἠὲ κυναγὸν ὤρεσιν ἐν Τμαρίοισιν ὑποβλέπει ἄνδρα λέαινα ὠμοτόκος, τᾶς φαντὶ πέλειν βλοσυρώτατον ὄμμα,* quarum utramque imaginum, quamquam certum exemplar non spectant, tamen comparationum Homericarum modo formatas esse apparet. Addamus iis, quod est apud Horatium epod. 5. 9 *quid . . me intueris . uti petita ferro bellua? Π.* 751. *οἶμα λέοντος ἔχων ὅστε σταθμοὺς κεραΐζων ἔβλητο πρὸς στῆθος, ἑή τέ μιν ὤλεσεν ἀλκή* bis imitatus est Virgilius: Aen. IX 792 et 551 semel Ovidius met. XI. 510 *utque solent sumptis incursu viribus ire pectore in arma feri protentaque tela leones. O.* 586. *ἀλλ' ὅγ' ἄῤ ἔτρεσσε θηρὶ κακὸν ῥέξαντι ἐοικώς, ὅστε*

κύνα κτείνας ἢ βούκολον ἀμφὶ βόεσσιν φεύγει, πρίν περ ὅμιλον ἀολλισθήμεναι ἀνδρῶν Vergilius ante oculos habuit Aen. XI. 809 *ac velut ille prius, quam tela inimica sequantur, continuo in montes sese avius abdidit altos occiso pastore lupus magnove iuvenco, conscius audacis facti caudamque remulcens subiecit pavitantem utero silvasque petivit.* Aprum, quem apud Homerum habes *Δ*. 253. *Λ*. 414. *M*. 41. 146. *N*. 471. *P*. 281 et saepius, in retia actum et a venatoribus procul hastis petitum videmus Verg. Aen. X. 707 temptatum vero a canibus eosque foede tractantem Ov. a. am. III. 373 *sed neque fulvus aper media tam saevus in ira est, fulmineo rabidos cum rotat ore canes.* met. IV. 722 *modo more ferocis versat apri, quem turba canum circumsona terret.* Fast. II. 231: *sicut aper longe silvis Laurentibus actus fulmineo celeres dissipat ore canes, mox tamen ipse perit, sic non moriuntur inulti.* Taurum a venatore vulneratum non inveni nisi Ov. met. IX. 205 *haud aliter graditur, quam si venabula taurus corpore fixa gerat factique refugerit auctor.* Cervi celeritatem secundum Theocritum 12. 6. et 30. 18 et Dioscoridem A. Pal. VI. 220 etiam Ovidius laudavit met. XIII. 806. Cervum a canibus vexatum — *K*. 360. *O*. 271. *X*. 189 — faciunt Simonides 30.

οἷος (δὲ κύων) ἀνὰ Δώριον ἀνθεμόεν πεδίον
πέταται θάνατον κεροέσσᾳ
εὑρέμεν ματεύων ἐλάφῳ
τὰν μέθεπ' αὐχένα στρέφοισαν ὑγρόν τε κάρα
πάντ' ἐπ' οἶμον.

et Vergilius Aen. XII. 749. Imagine, quam idem exhibet Aen. IV. 69 *(vagatur) qualis coniecta cerva sagitta, quam procul incautam nemora inter Cresia fixit pastor agens telis liquitque volatile ferrum nescius, illa fuga silvas saltusque peragrat Dictaeos — haeret lateri letalis arundo* tristiorem etiam ab Ovidio depictam videmus Ib. 253: *nec levius doleas, quam qui bibit ubera cervae armatique tulit vulnus, inermis opem.* Catulum a matre relictum inveni in Anacreontis fr. 51.: *ἀγανῶς οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα γαλαθηνόν, ὅστ' ἐν ὕλης κεροέσσης ἀπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη* quod Horatius expressit I. 23. 1. *vitas hinnuleo me similis Chloe quaerenti pavidam montibus aviis matrem non sine vano aurarum et siluae metu. Catulum* contra laéte matrem circumsilientem habes Theocr. 8. 89. *ὡς μὲν ὁ παῖς ἐχάρη καὶ ἀνάλατο καὶ πλατάγησεν νικάσας, οὕτως ἐπὶ μάτερι νεβρὸς ἅλοιτο.* Canem et lepores bis induxit Ovidius: met. I. 533 *ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo vidit et hic praedam pedibus petit, ille salutem.* ibid. V. 628. *quid mihi tunc animo miserae fuit? anne quod agnae est aut lepori,*

qui vepre latens hostilia cernit ora canum nullosque audet dare corpore motus, quae quam pulcra sit imago, quam ad verum expressa, nemo nisi venator sentire potest, qui leporem sic iacentem supervenit. Canis venaticus feras investigans est apud Horatium epod. 12. 6. *namque sagacius unus odoror, polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis, quam canis acer, ubi lateat sus* et apud Ovidium trist. V. 9. 27. *utque canem pavidae nactum vestigia cervae luctantem frustra copula dura tenet.* Canem vero post venationis labores quiescentem non nisi in Alexandrinorum carminibus inveni: Callim. in Del. 228

ἦ καὶ ὑπὸ χρύσειον ἑδέθλιον ἷζε κύων ὣς
Ἀρτέμιδος, ἥτις τε, θοῆς ὅτε παύσεται ἄγρης,
ἵζει θηρήτειρα παῤ ἴχνεσιν, οὔατα δ' αὐτῆς
ὀρθὰ μάλ', αἰὲν ἑτοῖμα θεῆς ὑποδέχθαι ὀμοκλήν.

et, magis ad popularis sermonis et paene ad proverbii modum ut expressa videantur verba, in subditicio illo carmine Theocriteo, *ἁλιεῖς* quod inscribitur, v. 44. *καὶ γὰρ ἐν ὕπνοις πᾶσα κύων ἄρτον μαντεύεται, ἴχθυα κἠγών.* Subsequantur comparationes has, quae venationem spectant, eae, quae de feris agunt, quibus catuli erepti sunt. Communes esse credendae sunt, cum, quae huc sane referenda est Ov. met. XIII. 803. *feta truculentior ursa* etiam in vetere testamento legitur Proverb. 17. 7. Quod in Priapeis est 46. 4. *ursis asperior* huc non pertinere, insequente *pilosiorque* satis demonstratur.[61]) Imo idem dicit de urso, quod de echino et apro Horatius epod. 5. 28. *horret capillis ut marinus asperis echinus aut currens aper.* Comparatio Homerica huc pertinens legitur *E* 318. *πυκνὰ μάλα στενάχων ὥστε λὶς ἠϋγένειος ᾧ ῥά θ' ὑπὸ σκύμνους ἐλαφηβόλος ἁρπάσῃ ἀνὴρ ὕλης ἐκ πυκινῆς · ὁ δέ τ' ἄχνυται ὕστερος ἐλθών, πολλά δέ τ' ἄγκε ἐπῆλθε μετ' ἀνέρος ἴχνι ἐρευνῶν, εἴ ποθεν ἐξεύροι · μάλα γὰρ δριμὺς χόλος αἱρεῖ.* Leaenam, quam habet Ovidius a. am. II. 375, *nec lea cum catulis lactantibus ubera praebet (tam saeva in ira est)* clamantem facit Theocritus 26. 21. *ὅσσόν περ τοκάδος τελέθει μύκημα λέαινας* raptores catuli insectantem Ovidius met XIII. 547. *utque furit catulo lactente orbata leaena signaque nacta pedum sequitur quem non videt, hostem.*

Proximum erit, ut longam illam seriem tractemus bestiarum inter se furentium. Leonem clamore hinnulei audito praedam

---

[61]) singularem in modum multitudinem crinium in imaginem vertit poeta danicus (Grundtvig 3. 162).

I siger danske dronningen saa mangen ondt aar,
som linden baer löv og hinden baer haar.

sequentem habes Theocr. 13. 61. *νεβροῦ φθεγξαμένας τις ἐν οὔρεσι λῖς ἐξακούσας ἐξ εὐνᾶς σπεύσαι κεν ἑτοιμοτάταν ἐπὶ δαῖτα* et Ov. met. V. 164. *tigris ut auditis diversa valle duorum extimulata fame mugitibus armentorum nescit, utro potius ruat et ruere ardit utroque* — quos versus huc referendos statui, quamquam manifestum est, comparationem positam esse in dubitatione bestiae, cui ab utraque parte praedae se offerunt. Bestias praedam sequentes ad exemplum Theocriti 10. 30. *λυκὸς τὰν αἶγα διώκει* Vergilius induxit ecl. 2. 63. *torva leana lupum sequitur, lupus ipse capellam.* Lupi exstant etiam Aen. II. 355. *inde lupi ceu raptores atra in nebula quos improba ventris exegit caecos rabies catulique relicti faucibus expectant siccis* et Ov. trist I. 6. 9. *utque rapax stimulante fame cupidusque cruoris incustoditum captat ovile lupus.* Leo contra et tigris locum habent Hor. c. I. 23. 9. *atqui non ego te tigris ut aspera Gaetulusve leo frangere persequor.* Praedam fugientem — *Λ.* 383. *οἵ τέ σε πεφρίκασι λέονθ' ὡς μηκάδες αἶγες* inducunt Theocritus 11. 24. *φεύγεις δ' ὥσπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα* — ubi proverbium quod apud eundem est 14. 22. omnino non respiciendum est: tum enim fugere non posset — Anacreon 51. *ἀγανῶς οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα γαλαθηνόν, ὅστ' ἐν ὕλης κεροέσσης ἀπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη.* Hor. c. I. 23. 1.

vitas hinnuleo me similis, Chloe,
quaerenti pavidam montibus aviis
matrem non sine vano
aurarum et siluae metu

epod. 12. 25 *o ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acres agna lupos capreaeque leones.* Ov. a. am. I. 118 *utque fugit visos agna novella lupos* met. am. I. 505 *sic agna lupum sic cerva leones (fugiunt).* Agnas ipsum opilionis canem fugientes habes Ov. ex. P. II. 7. 11. Inimicitiae, quae sunt inter lupos et agnes, paene in proverbium abierunt: exhibentur *K.* 262. Hor. epod. 4. 1. Ov. Ib. 43. Cervos fugientes, quos a Simonide commemorari supra attuli, apud poetas latinos ter inveni: Hor. c. I. 15. 29 *cervus uti vallis in altera visum parte lupum graminis immemor, sublimi fugies mollis anhelitu.* Ov. met. XI. 771 *visa fugit nymphe, veluti perterrita fulvum cerva lupum.* id. Fast. III. 646. Bestias praedam vorantes, quos praeter ceteros locos eximia imagine habes *Λ.* 113 *ὡς δὲ λέων ἐλάφοιο ταχείης νήπια τέκνα ῥηϊδίως συνέαξε λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσιν, ἐλθὼν εἰς εὐνήν, ἁπαλόν τέ σφ' ἦτορ ἀπηύρα* — bis apud ceteros Graecos inveni: Theogn. 949 *νεβρὸν ὑπὲξ ἐλάφοιο λέων ὣς ἀλκὶ πεποιθὼς ποσσὶ καταιμάρψας αἵματος οὐκ ἔπιον* cui quasi opposita est, quae comparatio legitur in Megara 4 *ἤ ῥ' ὅτε ἄλγεα πάσχει ἀπείριτα*

φαίδιμος υἱὸς ἀνδρὸς ὑπ' οὐτιδανοῖο λέων ὥςειθ' ὑπὸ νεβροῦ. Loci, quos apud latinos inveni, hi sunt: Verg. ecl. 3. 80. Aen. IX. 59, 339, 565, 730. X. 723. Hor. c. III. 11, 41. Ov. met. V. 626. VI. 636. trist. I. 6. 9. Fast. II. 209. 799. At leonem non semper caedes committere iam Theognis contendit 293. *οὐδὲ λέων αἰεὶ κρέα δαίνυται, ἀλλά μιν ἔμπης καὶ κρατερόν περ ἐόντ' ἀγρεῖ ἀμηχανίη* et Ovidius eum opponit urso lupoque trist. III. 5. 33.

corpora magnanimo satis est prostrasse leoni;
pugna suum finem, cum iacet hostis, habet:
at lupus et turpes instant morientibus ursi
et quaecunque minor nobilitate fera.

Lupos nunquam sitim sanguinis explentes vides Verg. ecl. 7. 51. *hic tantum Boreae curamus frigora, quantum numerum lupus.* Ov. am. I. 8. 56. *plena venit canis de grege praeda lupis.* a. am. III. 419. *ad multas lupa tendit oves, praedetur ut unam.* Ubi vero agnam ceperunt, nunquam eam dimittunt, ut oves etiam faucibus luporum excussae semper eos timeant: sic est Ov. met. VI. 527, *illa tremit, velut agna pavens, quae saucia cani ore excussa lupi nondum sibi tuta videtur.* trist. I. 1. 77. *nec procul a stabulis audet discedere si qua excussa est avidis dentibus agna lupi.*

Restat ut paucos afferam locos, quibus tauri commemoratur. Ac primum quidem taurum cum leone pugnantem — *Il* 487 — unus facit Vergilius Aen. X. 454, Idem habet taurum ad pugnam se parantem Aen. XII. 103 et tauros inter se pugnantes ibid. 715 quae imago etiam apud Ovidium est met IX. 46. Taurus crabronibus vexatus met. XI. 334 Daedalioni comparatur in mare ruenti: *concita membra fugae mandat similisque iuvenco spicula crabronum pressa cervice gerenti, qua via nulla, ruit,* ubi Ovidius, ni fallor, respexit *χ* 299. *οἱ δ' ἐφέβοντο κατὰ μέγαρον βόες ὥς ἀγελαῖαι τὰς μέν τ' αἴολος οἶστρος ἐφορμηθεὶς 'εδόνησεν.* Longam revera, si respicere velis, invenies esse seriem imaginem a feris repetitarum. Nec mirum, nam tantum esse numerum ferarum, vix ut dici possit, paene in proverbium abiit: Ov. a. am. III. 150. trist. V. 2. 25. quibus subiungamus a. am. II. 517.

Pisces quoque ad multitudinem pingendam adhibentur Ov. am. I. 58. trist. IV. 1. 55. V. 2. 25. ex P. II. 7. 28. Praeterea non tam multas imagines invenias, quibus pisces inducti sint. Piscatores ipsi nemini nostrorum poetarum imaginem praebuerunt, instrumenta eorum bis Ovidio: rem. am. 448. *nec satis est liquidis unicus hamus aquis.* trist III. 4. 11. *aspicis ut summa cortex levis innatet unda, cum grave nexa simul retia mergat opus.*

Piscis hamum eflugiens apud eundem est ex P. II. 7. 9. *qui semel est laesus fallaci piscis ab hamo, omnibus unca cibis aera subesse putat.* Anguilla apud Simonidem Amorginum exstat fr. 8. ὥσπερ ἔγχελυς κατὰ γλοιοῦ. delphinus apud Moschum 1. 113. ἀγάων δ'ἐπιβὰς πρόσσω θέεν ἠύτε δελφίς et apud Vergilium Aen. V. 594. *texuntque fugas et proelia ludo delphinum similes, qui per maria umida nando Carpathium Libycumque secant.* Quas modo attuli, omnes huius generis similitudines sunt, sed liceat iis subiungere eos locos, quibus Ovidius conchis usus est ad imagines formandas multitudinis a. am. II. 519 et tr. V. 2. 23 et levitatis met XIII. 792. Imagini, quam legimus met. IV. 366 *utque sub aequoribus deprensum polypus hostem continet ex omni dimissis parte flagellis* nihil certe rei est cum Homeri Od. V. 432. ὡς δ' ὅτε πουλύποδος θαλάμης ἐξελκομένοιο πρὸς κοτυληδονόφιν πυκιναὶ λάϊγγες ἔχονται. Quod si autem Washietlius contendit, has duas unicas esse imagines a polypi natura desumtas, vellem Theognidem inspexisset, apud quem 2. 15. haecce legitur imago:

πουλύπου ὀργὴν ἴσχε πολυπλόκου, ὃς πότι πέτρῃ,
τῇ προςομιλήσῃ ,τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.

Serpentem habes apud Vergilium Aen. II. 471 *qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus, frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat nunc positis novus exuviis nitidusque iuventa lubrica convolvit sublato pectora tergo arduus ad solem et linguis micat ore trisulcis*, et apud Ovidium, qui parcius eandem imaginem ita expressit met. IX. 266 *utque novus serpens posita cum pelle senecta luxuriare solet squamaque virere recenti.* Serpentes hominibus infestos — X 93. — saepius adhibuerunt poetae, ut Callimachus fr. 438 οἱ δ' ὥστ' ἐξ ὀχεῆς ὄφις αἰόλος αὐχέν' ἀνασχών Verg. Aen. V. 273. Ov. a. am. II. 376. (*neque fulvus aper media tam saevus in ira est) nec brevis ignaro vipera laesa pede.* met. XIII. 804. *calcato immitior hydro.* Fast. II. 341. *attonitusque metu rediit, ut saepe viator turbatum viso rettulit angue pedem.*

Avium quoque multitudinem — B 459 — in comparationibus breviter commemoratam invenias a. am. I. 58. trist. V. 2. 26 ex P. II. 7. 27. Vergilius, ut a simplicitate semper abhorruit, copiosioribus quaesitioribusque verbis rem ita expressit: Georg. IV. 473 *umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum, quam multa in foliis avium se milia condunt, vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber.* Aen. VII. 310 *terram gurgite ab alto quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus trans pontum fugat et terris immittit apricis.* Sub eundem respectum cadit Ov.

met. VI. 24. *coeunt, ut aves, si quando luce vagantem noctis avem cernunt.* [62]) Aucipis mentio fit Ov. a. am. I. 47. *aucipibus noti frutices* — scilicet in quibus optime retia tendat, retium ipsorum met XI. 73 *utque suum laqueis, quos callidus abdidit auceps, crus ubi commisit volucris sensitque teneri, plangitur ac trepidans astringit vincula motu.* — ubi poetae in mentem venisse videtur χ. 478 — et iam antea apud Theognidem 1097. *ἤδη καὶ πτερύγεσσιν ἐπαίρομαι, ὥστε πετεινὸν ἐκ λίμνης μεγάλης ἄνδρα κακὸν προφυγών, βρόχον ἀπορρήξας* et apud Theocr. 8. 58 *(δένδρεσί μὲν χειμὼν φοβερὸν κακόν) ὄρνισι δ' ὕσπλαγξ.* Singularis de aucupe in Priapeis exstat similitudo 77. 8. *hoc est, non admittere ad aucupem volucres.* Nimirum advolare debebant aves ipsae ad aream aucupis, qui non potest persequi aves, celeres quae vocantur: B. 764. η. 36. [63]) Ibyc. fr. 4. Theocr. B. 23. Mosch. 2. 26. Ov. met. VII. 770. Itaque omnis aer iis patet, ut est Fast. II. 494 *ut volucri vacuo quidquid in orbe patet.* Idem autem poeta levitatem iis exprobrat am. II. 9. 49 *tu levis es multoque tuis ventosior alis* qua in re eum praecesserat Theognis, apud quem legimus 580 *ἐχθαίρω κακὸν ἄνδρα, καλυψαμένη δὲ πάρειμι σμικρῆς ὄρνιθος κοῦφον ἔχουσα νόον.* Sed licet, leves fuisse aves, veteres putarint, tamen amorem earum erga pullos admirati sunt, cuius rei testes habes praeter I. 323. π 216 etiam Megar. 21. *ὡς δ' ὄρνις δύρηται ἐπὶ σφετέροισι νεοσσοῖς ὀλλυμένοις, οὕστ' αἰνὸς ὄφις ἔτι νηπιάχοντας θάμνοις ἐν πυκινοῖσι κατεσθίῃ· ἡ δὲ κατ' αὐλὰς πωτᾶται κλάζουσα μάλα λιγὺ πότνια μήτηρ οὐδ' ἄρ' ἔχει τέκνοισιν ἐπαρκέσαι· ἦ γάρ οἱ αὐτῇ ἆσσον ἴμεν μέγα τάρβος ἀμειλίκτοιο πελώρου* et Hor. epod. 1. 19 *ut assidens implumibus pullis avis serpentium allapsus timet magis relictis, non, ut adsit, auxili latura plus praesentibus.* Sed iam videamus, quemnam locum singula avium genera teneant in comparationibus. Ac primum quidem tripartita est series imaginum, quibus aquila proponitur. Quarum prima aquilam exhibet pugnantem cum serpente: Hor.: c. IV. 4. 11 *qualem ministrum fulminis alitem . . nunc in reluctantes dracones egit amor dapis atque pugnae.* Verg. Aen. XI. 751. *utque volans alte raptum cum fulva draconem fert aquila implicuitque pedes atque unguibus haesit, saucius at serpens sinuosa volumina versat arrectisque horret squamis et sibilat ore arduus insurgens: illa haud minus urget obunco luctantem rostro, simul aethera verberat alis.* Ov. met. IV. 362. *implicat, ut serpens, quam*

---

[62]) Lucian. Harmonid. 852. 3. *συνθέουσι ἐπὶ σὲ πάντες, ὥσπερ ἐπὶ τὴν γλαῦκα τὰ ὄρνεα.*

[63]) hunc locum spectasse videtur Mnasalcas. Anth. Pal. VII. 222. *πολλάκις γὰρ νάεσσιν ἰσόδρομον ἄνυσε μᾶκος ὄρνις ὅπως δολιχὰν ἐκπονέουσα τρίβον.*

regius sustulit ales sublimemque rapit: pendens caput illa pedesque alligat et cauda spatiantes implicat alas. ibid. 714. *utque Jovis praepes, vacuo cum vidit in arvo praebentem Phoebo liventia terga draconem, occupat aversum: neu saeva retorqueat ora squamigeris avidos figit cervicibus ungues* — qui omnes loci mihi non ex imagine Homeri fluxisse videntur, sed ex ea descriptione, quae legitur *M.* 200. Altera series imaginum nobis aquilam et leporem ante oculos ponit: *X.* 308 *ὥστ' αἰετος ὑψιπετήεις, ὅστ' εἶσιν πεδίονδε διὰ νεφέων ἐρεβεννῶν, ἁρπάξων ἢ ἄρν' ἀμαλὴν ἢ πτῶκα λαγωόν.* Verg. Aen. IX. 562. *qualis ubi aut leporem aut candenti corpore cycnum sustulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis.* Ov. met. VI. 516. *non aliter, quam cum pedibus praedator obuncis deposuit nido leporem Jovis ales in alto*, tertia aquilam et columbam: Alcae. 27. *ἔπταζον ὥστ' ὄρνιθες ὤκυν αἴετον ἐξαπίνας φάνεντα.* Verg. ecl. 9. 11. *carmina tantum nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum Chaonias dicunt aquila veniente columbas.* Ov. a. am. I. 117. *ut fugiunt aquilas, timidissima turba, columbae* met. I. 506. ib. VI. 529. *utque columba suo madefactis sanguine plumis horret adhuc avidosque timet, quibus haeserat, ungues.* Milvum habet Theognis 1261 *ἰκτίνου γὰρ ἔχεις ἀγχιστρόφον ἐν φρεσὶν ἦθος, ἄλλων ἀνθρώπων ῥήμασι πειθόμενος.* 1301. *σὺ δὲ μάργον ἔχων καὶ ἀγήνορα θυμὸν φεύγεις, ἰκτίνου σχέτλιον ἦθος ἔχων.* et Theocritus 9. 32. *ἴρηκες δ' ἴρηξιν (φίλοι)* quamquam hic locus nihil de milvorum natura nos docet, sed modo proprio exemplo illustrat *ρ* 218. *ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.* Apud Ovidium et milvus locum habet met. II. 716 *ut volucris visis rapidissimus miluus extis, dum timet, et densi circumstant sacra ministri, flectitur in gyrum nec longius audit abire spemque suam motis avidus circumvolat alis*, et vultur trist. I. 6. 11. qui unicus locus est, quo vulturem in comparationem inductum habemus: *aut ut edax vultur corpus circumspicit ecquod sub nulla positum cernere possit humo.* Sed Mosch. 2. 16. *ἐπὶ σπλάγχοις δὲ κάθηται* tum demum recte intelliguntur, si *πτερόεις ὄρνις*, quem vocat, vultur est. Accipitrem timeri ab avibus — *P.* 755 — Alcman habet fr. 28. *δῦσαν δ' ἄπρακτα νεάνιδες, ὥστ' ὄρνεις ἱέρακος ὑπερπταμένω* et fortasse etiam apud Archilochum fr. 106 *πτώσσουσαν ὥστε πέρδικα* accipiter locum habuit. Romani poetae, ubi de accipitre agitur, excepto uno loco — met. XI. 773 *fugit . veluti . longe . lacu deprensa relicta accipitrem fluvialis anas.* — columbam cum eo inducunt: Hor. c. I. 37. 17. Ov. met. 605. Accipitrem post felicem venationis eventum columbam vorantem habes Verg. Aen. XI. 721. columbam unguibus accipitris elapsam Ov. tr. I. 1. 75. *terretur minimo pennae stridore columba unguibus,*

accipiter, saucia facta tuis. Hirundinem carminibus inseruerunt Theocritus 14. 39. *μάστακα δοῖσα τέκνοισιν ὑπωροφίοισιν χελιδὼν ἄψορρον ταχινὰ πέτεται βίον ἄλλον ἀγείρειν.* Verg. Aen. XII. 473. *nigra velut magnas domini cum divitis aulas pervolat et pinnis alta atria lustret hirundo, pabula parva legens nidisque loquacibus escas et nunc porticibus vacuis nunc umida circum stagna sonat.* Ov. ex P. IX. 14. 13. *frigus minus odit hirundo, proxima Marticolis quam loca Naso Getis.* Anserem semel modo a Catullo, cuius populares has aves educare solebant, commemoratum inveni 25. 2. *Cinaede Thalle, mollior . . vel anseris medullula .* unde certe fluxerunt, quae leguntur Priap. 64. *quidam mollior anseris medulla.* Pavonem, ubi se laudatum audiat, superbum fieri, quae etiam apud nos rure vulgaris opinio est, etiam a Romanis creditum esse, Ovidius docet met. XII. 802. *laudato pavone superbior.* Gruem aratrum sequentem Theocritus induxit 10. 31. *διώκει ἁ γέρανος τὤροτρον* cum Vergilius, Homeri *Γ*. 2 secutus, Aen. X. 264 grues ad septentrionem migrantes intelligat. Idem Aen. IV. 254. *avi similis, qui circum litora, circum piscosos scopulos humilis volat aequora iuxta,* larum fortasse spectat, qui est *ο*. 749. *ἄντλῳ ἐνδούπησε πεσοῦσ' ὡς εἰναλίη κήξ.* Antimach. fr. 6. *ἠΰτε καύηξ (ἔνδιος) δύπτης ἁλμυρὸν εἰς πέλαγος.* De lusciniis et cycnis plures agunt similitudines, quas una tractabo, quoniam pleraeque earum cantum spectant. Praeterea modo cycni colorem album commemoratum inveni Theocr. 25. 30. Verg. ecl. 7. 38. Ov. her. 15. 249. trist. IV. 8. 1. Memoratu dignum mihi videtur, cum imago Vergilii modo laudata Galateam spectet, Ovidium Polyphemum suum facere comparantem candidum Galateae colorem *folio nivei ligustris,* de cycno autem hanc mutuantem imaginem met. XII. 796 *mollior et cycni plumis.* Sed notissimum id genus similitudinum est, quo cycni et lusciniae producuntur maesta carmina canentes. Quamquam quindecim comparationum quae sub hoc genus reducendae sunt, sex de querelis non agunt. Quarum tribus habes lusciniam: Simonid. 73. *εὖτ' ἀηδόνες πολυκώτιλοι χλωραύχενες εἰαριναί* Theocr. 12. 6. *ὅσσον ἀηδὼν συμπάντων λιγύφωνος ἀοιδοτάτη πετεηνῶν.* Theogn. 939. *οὐ δύναμαι φωνῇ λίγ' ἀειδέμεν ὥσπερ ἀηδών, καὶ γὰρ τὴν προτέρην νύκτ' ἐπὶ κῶμον ἔβην.* tribus cycnum: Pratin. 1. 5. *ἐμὲ δεῖ κελαδεῖν, ἐμὲ δεῖ παταγεῖν ἀν' ὄρεα θύμενον μετὰ Ναϊάδων οἷά τε κύκνον ἄγοντα ποικιλοπτέρον μέλος.* Verg. Aen. VII. 702. *ceu quondam nivei liquida inter flumina cycni cum sese e pastu referunt et longa canoros dant per colla modos, sonat amnis et Asia, longos, pulsa palus* ubi poeta cycnos posuit pro avibus, quas simpliciter habet Homerus λ. 605. *ἀμφὶ δέ μιν κλαγγὴ νεκύων ἦν οἰωνῶν ὥς* et — si hunc locum

hic addere licet, Anacreont. 58. *Φρυγίῳ ῥυθμῷ βοήσω, ἅτε τις κύκνος Καΰστρῳ ποικίλον πτεροῖσι μέλπων ἀνέμῳ σύναυλος ἠχῇ.* Cycnum querentem praeter auctorem epit. Bion. 14. — ubi non est in imagine — nemo nisi Ovidius habet:[64]) her. 7. 1. met. XIV. 429. trist. V. 1. 11. Fast. II. 109. Lusciniam querentem, quam primum Homerus induxerat *τ* 518.[65]) et post eum saepissime usurpaverunt poetae tragici, de nostris habent Phalaec. Ant. Pal. 13. 27. *τύμβον δ' ἐν πατέρων κενεοῦ λάχεν, ὅν πέρι Προμηθὶς μήτηρ λιγρῇ ὀρνίθι πότμον εἰκέλη, αἰαῖ, κωκύει τὸν ἑὸν γόνον ἤματα πάντα.* Cat. 65. 12. *semper maesta tua carmina morte canam, qualia sub densis ramorum concinit umbris Daulias absumpti fata gemens Ityli.* Ov. Fast. IV. 481. *quacunque ingreditur, miseris loca cuncta querellis implet, ut amissum cum gemit ales Ityn* qui aperte Terei fabulam spectant, tum Vergilius Georg. IV. 511 *qualis populea maerens philomela sub umbra amissos queritur fetus, quos durus arator observans nido implumes detraxit: at illa flet noctem ramoque sedens miserabile carmen integrat et maestis late loca questibus implet* qui illam fabulam omnino non respicit. Denique Parthenii fragmentum huc vocemus, quod in Meinekii Anal. Alex. p. 315 ita legitur: *ἡ δ', ὅτε δὴ ὀλοοῖο κασιγνήτου νόον ἔγνω, κλαῖεν ἀηδονίδων θαμινώτερον, αἵτ' ἐνὶ βήσσῃ Σιθονίῳ κούρῳ περὶ μύριον αἰάζουσιν.* Addit vir doctus haecce: *Westermannus Kayserum secutus edidit Σιδονίῳ Adonidem opinor intelligens, cuius aliena est ab hoc loco memoria.* Sed non plane abiicienda mihi videtur Kayseri coniectura. Nam primum id tenendum est, ubi Terei fabulam poetae spectant, unam semper lusciniam induci, quod non ad elegiacos solum, verum etiam ad tragicos poetas attinet, quorum hos locos exemplorum gratia affero: Aesch. Ag. 1144. Soph. Trach. 105. 963. Electr. 107. 1075. Praeterea luscinia non aliena est ab Adonidis fabula, nam et Bio in epitaphio eam commemorat 36. *πάντας ἀνὰ κναμώς, ἀνὰ πᾶν νάπος οἰκτρ' ἀηδὼν αἰάξεν νέον οἶτον · ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις* et apud Theocritum in descriptione lecti, in quo stratus iacet Adonis, haec invenitur comparatio 15. 120. *οἱ δ' ἔτι κῶροι ὑπερποτῶνται Ἔρωτες οἷοι ἀηδονιδῆες ἀεξομενᾶν ἐπὶ δένδρων πωτῶνται πτερύγων πειρώμενοι ὄζον ἀπ' ὄζω.* Potuit hoc loco simpliciter pullos inducere, ut simili modo est apud Homerum *H.* 58. *κὰδ δ' ἄρ Ἀθηναίη τε καὶ ἀργυρότοξος Ἀπόλλων ἑζέσθην ὄρνισιν ἐοικότες αἰγυπιοῖσιν* et propius ad rerum naturam accessisset, nam lusciniae plures

---

64) certe non ex huius poetae sed e poetarum Galliae meridionalis carminibus fluxit comparatio Henrici de Morungen 135. 15 ich tuon sam der swan, der singet swenne er stirbet.

65) Wilamowitz. homer. untersuch. p. 60. 63.

eodem loco versari non solent, tamen luscinias induxit. Certe, quia apud eum poetam, quem in fabula Adonidea secutus est, lusciniae adolescentem mortuum circumvolaverunt querentes.[66]) Restat, ut de comparationibus agamus, quibus columbae inducuntur, quarum duae docent, columbam ab hominibus tum valde amatam et tractatam esse: Cat. 29. 8. *perambulabit omnium cubilia, ut albulus columbus aut Adoneus.* et Ov. ex P. III. 3. 19. *et visa est oculis horrida pinna meis, qualis in aeriae tergo solet esse columbae, tractantum multae quam tetigere manus.* Veteres quoque eam improbam et lascivam esse credidisse, docent Cat. 68. 125. *nec tantum niveo gavisast ulla columbo conpar quae multo dicitur improbius oscula mordenti semper decerpere rostro quam quae praecipue multivola est mulier.* Matii fr. 4. *sinuque amicam refice frigidam caldo columbulatim labra conserens labris.*[67]) Priapea autem huius libidinis passerem incusant 26. 5. *vicinae sine fine prurientes vernis passeribus salaciores.*

Greges cum nunc pertractandos nobis proposuimus, primum agamus de pastoribus. Eorum mentio fit Ov. trist. IV. 1. 11. *fessus ut incubuit baculo saxove resedit pastor, arundineo carmine mulcet opus.* Verg. Georg. IV. 433. *ipse velut stabuli custos in montibus olim, vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit auditisque lupos acuunt balatibus agni, considit scopulo medius numerumque recenset.* B. 480 *ἠΰτε βοῦς ἀγέληφι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο πάντων ταῦρος. ὁ γάρ τε βόεσσιν μεταπρέπει ἀγρομένοισιν* latine expressit Vergilius ecl. 5. 33 *ut gregibus tauri, tu decus omne tuis.* Boves aratrum détractantes habes Cat. 63. 38. *furibunda simul anhelans vaga vadit, animam agens comitata tympano Attis per opaca nemora dux, veluti iuvenca vitans onus indomita iugi.* Prop. II. 4. 3. *ac veluti primo taurus detractat aratra, post venit assueto mollis ad arva iugo.* Ov. am. I. 2. 13. *verbera plura ferunt, quam quos iuvat usus aratri, detractant pressi cum iuga prima boves.* her. 4. 11. *scilicet ut teneros laedunt iuga prima iuvencos.* met. XIII. 798. *saevior indomitis eadem Galatea iuvencis.* Sed etiam ubi iugum ferre docti sunt. — Ov. a. am. I. 471. *tempore difficiles veniunt ad aratra iuvenci.* am. III. 11. 36. *nec iuga taurus amat, quae tamen odit, habet.* — videndum est, ne inaequales sub idem iugum veniant: Ov. her. 9. 29. *quam male inaequales veriunt ad aratra iuvenci, tam.* quod quasi oppositum est imagini Homericae

---

[66]) quamquam eam ob causam non cum Ahrensio Parthenii versus ex imitatione Bionis oriundos putarem.

[67]) cf. Ov. am. II. 6. 56. oscula dat cupido blanda columba mari.

N. 704. *ὥστ' ἐν νειῷ βόε οἴνοπε πηκτὸν ἄροτρον, ἶσον θυμὸν ἔχοντε, τιταίνετον.* Gravi opere denique vel boves pessumdari habes ex P. I. 4. 11. *cernis ut in duris — et quid bove firmius? — arvis fortia taurorum corpora frangat opus.* Vaccam taurumque amore coniunctos exhibet Vergilius ecl. 8. 85. *talis amor Daphnim, qualis cum fessa iuvencum per nemora atque altos quaerenda bocula lucos propter aquae rivum viridi procumbit in ulva, perdita nec serae meminit decedere nocti, talis amor teneat.* et Ovid. met XIII. 871. *surgit et ut taurus vacca furibundus adempta stare nequit silvaque et notis saltibus errat.* Vaccam anxie vitulum querentem non inveni nisi Fast. IV. 459. *ut vitulo mugit sua mater ab ubere rapto et quaerit foetus per nemus omne suos.* Imago hostiae ante aram cadentis, ex Homeri Υ. 403. Φ. 237. λ. 411 fluxa, quinquies locum habet: Cat. 64. 369 *quae velut ancipiti succumbens victima ferro proiiciet truncum summisso poplite corpus.* Verg. Aen. II. 222. *clamores simul horrendos ad sidera tollit, qualis mugitus, fugit cum saucius aram taurus et incertam excussit cervice securim.* Ov. met. II. 622. *tum vero gemitus alto de corde petitos edidit: haut aliter quam cum spectante iuvenca lactentis vituli dextra libratus ab aure tempora discussit claro cava malleus ictu.* ibid. V. 122. *procubuit terrae mactati more iuvenci.* ibid. VIII. 762. *haud aliter fluxit discusso cortice sanguis, quam solet, ante aras ingens ubi victima taurus concidit, abrupta cruor e cervice profundi.* Lac quoque apud poetas in comparationibus est. Quamquam dulcedinem lactis non laudavit Theocritus, apud quem 20. 26. *τὸ στόμα καὶ πακτᾶς γλυκερώτερον* iure mutavit Hermannus, qui *μαλακώτερον* legit, respiciens, ni fallor, Ov. met. XIII. 796. *mollior et lacte coacto.* Album lactis colorem — *γάλακτι δ' εἴκελον ἄνθος* κ. 304 — spectant Cat. 55. 17. *num te lacteolae tenent puellae* et Ov. am. III. 5. 13. *candidior, quod adhuc spumis stridentibus albet et modo siccatam, lacte, relinquit ovem.* her. 15. 249. *pectora vel lacte candidiora.* Segreganda ab his ea imago est, quam profert ex P. II. 5. 37. *non ego laudandus, sed sunt tua pectora lacte candidiora,* ubi pectora candida de sinceritate Salani dicta sunt.[68])

Oves praeter eas, quas supra attuli, comparationes non nisi a Theocrito commemorantur: 12. 4. *ὅσσον ὄις σφετέρας λασιωτέρα ἀρνός.* 18. 41. *πολλὰ τεοῦς, Ἑλένα, μεμναμέναι, ὡς γαλαθηναὶ ἄρνες γειναμένας οἷος μαστὸν ποθέοισαι.* 10. 4. *ἀλλ' ἀπολείπῃ, ὥσπερ ὄις ποίμνας,*

[68]) Casu modo nullam huius modi e Graecorum carminibus comparationem servatam esse, frequens huius imaginis apud scriptores eroticos usus docet, quamquam a talibus inficetiis, qualem habes Ach. Tat. 5. 13. 1. *γάλακτι μὲν ἂν εἴπες αὐτῆς τὸ πρόσωπον κεχρῖσθαι* veteres certe abhorruerunt poetae.

ὡς τὸν πόδα κάκτος ἐτύψε. Eiusdem 10. 30. *ἁ αἶξ τὰν κύτισον διώκει* eum imitatus habet Vergilius ecl. 2. 63. *florentem cytisum sequitur lasciva capella,* neque multum differunt, quae exstant 3. 82. *dulce depulsis arbutus haedis lenta salix pecori.* Quod apud Vergilium Ecl. 2. 63 *ἐπίθετον* est, eo Ovidius ad comparationem formandam usus est met. XIII. 791. *tenero lascivior haedo* ut iam antea Catullus 17. 15. *puella tenellulo delicatior haedo.* Neque mirabimur, ab his haedo tribui, quod ille capreae opposuit, quoniam in iisdem eclogis legitur 1. 22. *similes sic matribus haedos noram.*

Optime nunc eas comparationes spectabimus, quae de mulis asinisque agunt. Mulum, qui est apud Catullum 17. 25. *et supinum animum in gravi derelinquere caeno, ferream ut soleam tenaci in voragine mula* una cum asino induxit Theognis 996. *γνοίης χ'ὅσσον ὄνων κρείσσονες ἡμίονοι.* Asinus praeterea locum habet apud Tyrtaeum 6. *ὥσπερ ὄνοι μεγάλοις ἄχθεσι τειρόμενοι* Archil. 21. *ἡδὲ δ' ὥστ' ὄνου ῥάχις ἕστηκεν* Ov. am. II. 7. 15. *aspice ut auritus miserandae sortis asellus assiduo domitus verbere lentus eat.* a. am. II. 289. *illa sonat raucum quiddam atque inamabile ridet, ut rudit a scabra turpis asella mola.* Denique ad hunc locum referenda est imago, quam Theocritus certe e vulgari sermone depromsit 15. 73. *ὤθευνθ' ὥσπερ ὕες.*

Agrum eiusque culturam mirum in modum paucae imagines tractant, quod haud scio an eam ob causam sic se habeat, quia vita rustica contemptior et abiectior erat et ii poetae, qui aliquatenus eam aestimarint, comparationes ex ea ipsa re, quam canerent, sumere non poterant. Agricolam ipsum Theocritus habet 16. 32. *ὡςεί τις μακέλᾳ τετυλωμένος ἔνδοθι χεῖρας ἀχὴν ἐκ πατέρων πενίην ἀκτήμονα κλαίων.* Cat. 64. 355. *namque velut densas praecerpens cultor aristas sole sub ardenti flaventia demetit arva* qui imitatus est *Λ.* 67, Ov. a. am. I. 725 *(color) turpis agricolae, qui vomere semper adunco et gravibus rastris sub Jove versat humum.* Agrum colendum esse et Vergilius contendit ecl. 3. 82. *dulce satis umor,* et Ovidius tr. V. 12. 23. *fertilis assiduo si non renovetur aratro nil nisi cum spinis gramen habebit ager* cui loco opponamus ex P. I. 4. 13. *quae numquam vacuo solita est cessare novali, fructibus assiduis lassa senescit humus.* Idem, quod Theocritus 18. 29. *πιείρᾳ μέγα λᾷον ἀνέδραμε κόσμον ἀρούρᾳ* Vergilius habet ecl. 5. 33. *(vitis ut arboribus decus est) . . segetes ut pinguibus arvis,* Ovidius autem alteram rei partem spectat a. am. III. 249. *turpis sine gramine campus.* Aristas vento agitatas — B. 147 — et Callimachus habet in Del. 193. *ἀλλὰ παλιρροίῃ ἐπινήχεται ἀνθέρικος ὥς* et quater Ovidius a. am. I. 553. her. 5. 111. 10. 139. 14. 39.

Aristas etiam, ut copiam magnam significarent, adhibuerunt Catullus 48. 5. Vergilius Aen. VII. 720. Ovidius a. am. I. 57. met. XI. 614. trist IV. 157. ex P. II. 7. 25 ex P. IV. 15. 9.

Ignis. Agri urentes frequentes sunt in comparationibus. Sed ne has seorsim tractemus, optimum erit, hic omnes, quae de igne agunt, comparationes perlustrare. Ad colorem ignis pertinet comparatio illa, quae legitur apud Moschum 2. 7. *χρῶτα μὲν οὐ λευκός, πυρὶ δ'εἴκελος,* ad ignis vim Eratosthenis fragmentum 1. 1. *οἶνός τοι πυρὶ ἶσον ἔχει μένος* et Ovidii met. XIII. 802. *acrior igni.* Talis enim est ignis natura, ut non nisi initio extingui possit. Initio, cum flamma etiam parva sit: Solon. 13. 14. *ἀρχὴ δ' ἐξ ὀλίγου γίγνεται ὥστε πυρός* facile aquis extinguitur: Ov. her. 16. 189. *flamma recens parva sparsa resedit aqua.* Aquam enim igni quasi oppositam esse, veteres non ignorabant: Theogn. 1245. *οὔποθ' ὕδωρ καὶ πῦρ συμμίξεται.* Si hoc non fit, neque alimenta ei deducuntur, quod Ovidius suadet rem. am. 446. *saevaque diducto stipite flamma perit, ignis,* quippe qui *numquam alimenta recuset* — quod apud eundem legas met VIII. 837. *utque rapax ignis non unquam alimenta recusat innumerasque trabes cremat et quo copia maior est data, plura petit turbaque voracior ipsa est* — ignis, dico, in immensum crescit. Praecipue autem sulpure et bitumine alitur: Hor. epod. 5. 81. Ov. her. 7. 25. a. am. II. 439 rem. am. 731. imprimisque celeriter taedae igne capiuntur: Hor. c. IV. 4. 42. *dirus per urbes Afer ut Italas ceu flamma per taedas equitavit.* Ov. her. 12. 33. *nec notis ignibus arsi, ardet ut ad magnos pinea taeda deos.* Nec non vento flammas lassas iterum resuscitari, Ovidius monet am. I. 12. 11. *vidi ego iactatas mota face crescere flammas et vidi nullo concutiente mori.* et met. VII. 78. *utque solet ventis alimenta assumere, quaeque parva sub inducta latuit scintilla favilla, crescere et in veteres agitata resurgere vires.* Quam terribilis ignis interdum fuerit — *Λ.* 155. *Ξ.* 396. *Ο.* 605 — praeter eos Aeneidos locos, quibus silvae urentes depinguntur, X. 405. XII. 521. satis demonstrare possunt tres loci, quibus de agris urentibus agitur. Quorum primus est Verg. Aen. II. 304. *in segetem veluti cum flamma furentibus austris incidit* alter apud Ovidium met. XII. 274. *correpti rapida veluti seges arida flamma, arserunt crines.* tertius in epistula Sapphus, quae fertur, 9. *uror ut indomitis ignem exercentibus euris fertilis accensis messibus ardet ager.* Aedis incendium non nisi semel praetereundo commemoratum inveni. Ov. triet. II. 267. *igne quid utilius? si quis tamen urere tecta comparat, audaces instruit igne manus.* De utilitate ignis nos adhuc imagines non protulimus, sed eam quoque in comparationibus

haud praetermiserunt poetae. Quod enim apud Vergilium legitur Georg. *I.* 84 *saepe etiam steriles incendere profuit agros atque levem stipulam crepitantibus urere flammis* ad similitudines fingendas materiem praebuit ei ipsi Vergilio Georg. III. 99. *ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis in cassum furit.* et Ovidio met. I. 492. *utque leves stipulae demptis adolentur aristis* ubi aliam subinde imaginem addit *ut facibus saepes ardent, quas forte viator vel nimis admovit, vel clam sub luce reliquit;* et met VI. 456. *non secus exarsit, quam si quis canis ignem supponat aristis aut frondem positasque cremet faenilibus herbas.* Ligna vitea iam tum post vindemias cremata esse perspicias e Theognidis 1359. *χρὴ γάρ τοι περὶ παῖδα πονούμενον ἐς φιλότητα ὥσπερ κληματίνῳ χεῖρα πυρὶ προςάγειν.*

Vitis et hedera. Uvarum dulcedo est Ov. met. XIII. 705 *matura dulcior uva.* uvas nigras ut optimas laudat Cat. 17. 16. *asservanda nigerrimis diligentior uvis* uvarum passarum mentio fit Theocr. 27. 9. *ἁ σταφυλὶς σταφὶς ἐστι* et Priap. 32. 1 *uvis aridior puella passis.* Sed tempore modo eas dulces fieri contendit Tibullus I. 4. 19. *annus in apricis maturat collibus uvas.* Ex Italorum more arbores vitibus circumdandi fluxerunt Verg. ecl. 5. 32. *vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae.* Cat. 61. 106. *lenta quin velut adsitas vitis implicat arbores* — 62. 49. *ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo nunquam sese extollit, nunquam mitem educat uvam, sed tenerum prono deflectens pondere corpus iamiam contingit summum radice flagellum, hanc nulli agricolae, nulli coluere bubulci: at si forte eademst ulmo coniuncta marito, multi illam agricolae, multi coluere bubulci.* Ov. her. 5. 47. *non sic appositis vincitur vitibus ulnus.* Sed etiam hedera arbores circumdabantur: Theocr. 20. 21. *καὶ γάρ ἐμοὶ τὸ πάροιθεν ἐπάνθεν ἁδὺ το κάλλος, ὡς κισσὸς ποτὶ πρέμνον.* Cat. 61. 31. *mentem amore revinciens, ut tenax hedera huc et huc arborem implicat errans.* Ov. met. IV. 365. *utve solent hederae longos intexere truncos.*

Arbores his praeceptis iam ipsas unaque cum iis flores herbasque tractemus. De crescente arbore tres afferre possum similitudines: Hor. c. I. 12. 45. *crescit occulto velut arbor aevo fama Marcellis.* Verg. ecl. 10. 73. *cuius amor tantum mihi crescit in horas, quantum vere novo viridi se subicit alnus.* Ov. a. am. II. *sub qua nunc recubas arbore, virgo fuit.* Magnitudinem arboris similitudinis causa adhibuerunt: Theocr. 18. 30. *(Κόσμος) κάπῳ κυπάρισσος.* Verg. ecl. 1. 24. *verum haec tantum alias inter caput extulit urbes, quantum lenta solent inter viburna cupressi.* ecl. 5.

15. *lenta salix quantum pallenti cedit olivae* et Aen. III. 679 *concilium horrendum, quales cum vertice celso aëriae quercus aut coniferae cyparissi constiterunt silva alta Jovis lucusque Dianae,* ibid. IX. 679. *qualis aeriae liquentia flumina circum sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum consurgunt geminae quercus intonsaque caelo attollunt capita et sublimi vertice nutant,* qui duo loci ad *M.* 132 formati sunt. [69]) Arborem pulcram invenimus Sapph. 104. *τίῳ σ' ὦ φίλε γάμβρε κάλως εἰκάσθω; ὄρπακι βραδίνῳ σε κάλιστ' εἰκάσδω.* Cat. 61. 21. *floridis velut enitens Myrtus Asia ramulis, quos Hamadryades deae ludicrum sibi rosido nutriunt umore.* 64. 89. *quales Eurotae progignunt flumina myrtus aurave distinctos educit verna colores.* Ov. met. XIII. 790 *longa procerior alno.* ibid. 794 *nobilior forma et platano conspectior alto.* Durities ligni, quam saepissime poetae nostri in similitudinibus habent, bis modo laudatur Hor. c. IV. 4. 57. *duris ut ilex tonsa bipennibus nigrae feracis frondis in Algido, per damna per caedes ab ipso ducit opes animumque ferro.* Ov. met. XIII. 799. *durior annosa quercu.* in opprobrium autem vertitur a Catullo 17. 18. *velut alnus in fossa Liguri iacet suppernata securi tantundem omnia sentiens, quam si nulla sit usquam.* Virgas vel minimo aurae flatu moveri et facile flecti, non neglexit Ovidius her. 11. 76. *ut quatitur tepido fraxina virga noto* a. am. II. 496. *dum novus in viridi coalescit cortice ramus, concutiat tenerum qualibet aura, cadit.* ibid 179. *flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus, frangis, si vires experiere tuas.* met. XII. 800. *lentior et salicis virgis et vitibus albis.* Coalescunt etiam rami, ut est met. IV. 375, *velut si quis conducat cortice ramos crescendo iungi pariterque adolescere cernit.* Sed etiam arbor, licet dura sit et firmos radices habeat — Hor. epod. 12. 20. *cuius in indomito constantior inguine nervus, quam nova collibus arbor inhaeret* — si procellae eam aggrediuntur, dubie primum nutat: Verg. Aen. II. 626. IV. 441. [70]) Ov. met. X. 372. tum vero cadit: Hor. IV. 6. 9. *ille mordaci velut icta ferro pinus aut impulsa cupressus Euro.* Verg. Aen. V. 448. *concidit ut quondam cava concidit aut Erymantho aut Ida in magna radicibus eruta pinus:* ceterum mirum mihi videtur bis modo apud poetas, de quibus hic agitur, similitudinem inveniri, quam saepissime habes apud Homerum: *Λ.* 482. *Ε.* 559. *Ν.* 178. 398. *Ξ.* 414. *Π.* 482. 633 *Ρ.* 53. *Σ.* 56. 437. Lucem incertam, quae in silvis esse solet, bis

---

[69]) Isai. 6. 13. et erit in ostensionem sicut terebinthus et sicut quercus. quae expandit ramos suos

[70]) cf. Georg. II 291.

adhibuit Ovidius: am. I. 5. 4. *quale fere silvae lumen habere solent* et parcius etiam met. XIII. 845. *coma plurima torvos prominet in vultus umerosque ut lucus obumbrat.* Vergilius autem lunam per ramos in silvam facit illucentem. Susurrum arborum in imagine habes Ov. met. XV. 603. *qualia succinctis ubi trux insibilat Eurus murmura pinetis fiunt.* Folia Homerus primus in similitudines induxerat *B* 468. 800. *Z.* 146. *Φ.* 464 e quibus locis *Z* 146 laudatur a Simonide fr. 85. ἓν δὲ τὸ κάλλιστον Χῖος ἔειπεν ἀνήρ · οἵη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν neque ignotus videtur fuisse Mimnermo, apud quem leguntur 2. 1. ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φύει πολυάνθεος ὥρη ἔαρος, ὅτ' αἶψ' αὐγῇς αὔξεται ἠελίου, τοῖς ἴκελοι . . Folia vento agitata et facillime rapta sunt apud Propertium II. 9. 34. *nec folia hiberno tam tremefacta noto (sic mutantur.)* III. 7. 51 — quaesitissima imagine — *ac veluti folia arentes liquere corollas, quae passim calathis strata natare vides.* — quam respexisse mihi videtur Ovidius Fast. V. 359. *et modo flores cecidere capillis, accidere in mensas ut rosa missa solet.* Apud eundem hae praeterea inveniuntur imagines: her. 5. 109 *tu levior foliis.* 14. 10. *frigida populeas ut quatit aura comas.* am. I. 7. 65. *ut leni zephyro gracilis vibratur arundo.* a. am. I. 554. *ut levis in madida canna palude tremit.* am. II. 16. 554. *ut verba puellarum foliis leviora caducis.* a. am. 3. 703. *palluit ut serae lectis de vite racemis pallescunt frondes quas nova laesit hiems.* met. III. 729. *non citius frondes autumno frigore tactas iamque male haerentes alta rapit arbore ventus.* Idem autem valet de arbore frondibus nudata, quod de frutice est Ov. a. am. III. 250 *(turpis) sine fronde frutex.*

Herbae a veteribus non nisi contemptim usurpantur in comparationibus, ut Theogn. 537. οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται οὐδ' ὑάκινθος. Verg. ecl. 7. 11. *immo ego Sardoniis videar tibi amarior herbis, horridior rusco, proiecta vilior alga.* Ov. ex P. IV. 4. 3. *nec sterilis locus ullus ita est, ut non sit in illo mixta fere duris utilis herba rubis.* met XIII. 803. *asperior tribulis.* Denique e herbis noxiis cicutam commemorat Ovidius am III. 7. 13. *tacta tamen veluti gelida mea membra cicuta segnia propositum destituere meum.*

Flores nimirum non alieni sunt a similitudinibus. Hyacinthum, quem etiam ab agricolis conculcatum pulcherrimos flores summittentem canit Sappho 94. οἵαν τὰν ὑάκινθον ἐν οὔρεσι ποίμενες ἄνδρες πόσσι καταστείβοισι, χάμαι δ' ἐπιπορφύρει ἄνθος inde depromsit Catullus 61. 3. *talis in vario solet divitis domini hortulo stare flos hyacinthinus.* In universum plecritudinem florum laudat

Ovidius: met XIII. 790. *floridior pratis.* ibid. 797 *riguo formosior horto.* Multo vero maior numerus earum similitudinum est, quibus flos cadens vel decerptus nobis ante oculos ponitur. Quae imago certe aptissima erat ad illustrandum dolorem, quo brevitas vitae, pulcritudinis fragilitas veteres ita affecit, ut paene per omnia carmina eum effusum esse videamus. Itaque Theocritus queritur 23. 23. *καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει καὶ τὸ ἴον καλόν ἐστιν ἐν εἴαρι καὶ τάχυ γήρᾳ* et melius uvarum fatum praedicat auctor carminis 27. 9. *ἁ σταφυλὶς σταφίς ἐστι καὶ οὐ, ῥόδον, αὖον ὀλεῖται.* Catulli quoque duae imagines huc revocandae sunt 11. 21. *qui illius culpa cecidit velut prati ultimi flos, praetereunte postquam tactus aratro est.* 62. 39. *ut flos in saeptis secretus nascitur hortis, ignotus pecori, nullo convolsus aratro, quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber . . . multi illum pueri, multae optavere puellae: idem cum tenui captus defloruit ungui, nulli illum pueri, nullae optavere puellae.* Ex hac imagine et ex ea, quae legitur Θ 306. *μήκων δ' ὡς ἑτέρωσε κάρη βάλεν, ἥτ' ἐνὶ κήπῳ καρπῷ βριθομένη νοτίῃσι τε εἰαρίνῃσιν* videtur contaminata esse similitudo, quam habes Verg. Aen. IX. 436. *purpureus veluti cum flos succisus aratro languescit moriens lassove papavere collo demisere caput, pluvia cum forte gravantur.* Florem decerptum praeter Catullum apud Licinium Calvum inveni fr. 4. *lilium, vaga candido nympha quod secet ungui,* qui versus mihi e similitudine sumti esse videntur, et Verg. Aen, XI. 68. *qualem virgineo demessum pollice florem seu mollis violae, seu languentis hyacinthi, cui neque fulgor adhuc, neque dum sua forma recessit.* Homeri imaginem modo allatam amplificatam reddidit Ovidius met X. 190. *ut siquis violas riguove papaver in horto liliaque infringat, fulvis haerentia lignis marcida demittant subito caput illa gravatum nec sustineant spectentque cacumine terrae.* Praeterea duo Ovidii loci huc pertinent: am. III. 7. 66. *nostra tamen iacuere, velut praemortua, membra turpiter, hesterna languidiora rosa.* a. am. II. 115. *nec violae semperve hyacinthina lilia florent et riget amissa spina relicta rosa,* in qua imagine fortasse ei observati sunt versus, qui exstant Theocr. 23. 23. 24. Permultae e plantis redundarunt coloris comparationes. Colorem pallidum spectant Sapph. 2. 14. *χλωροτέρα δὲ ποίας ἔμμι.* Priop. 32. 2. *buxo pallidior novaque cera.* Ov. a. am. III. 705. *(pallescunt) quaeque suos curvant matura cydonia ramos cornaque adhuc nostris non satis apta cibis.* trist. III. 8. 29. *quique per auctumnum percussis frigore primo est color in foliis, quae nova laesit hiems.* Colorem album spectant Prop. II. 3. 10. *lilia non domina sint magis alba mea.* Cat 61. 189, *uxor in thalamost*

tibi ore floridulo nitens alba parthenice velut luteumve papaver. Ovid. met. XIII. 789. *candidior nivei folio Galatea ligustri.* Si ex Anacreonteorum 55. 22 μέσον αὔλακος δὲ Κύπρις κρίνον ὡς ἴοις ἑλιχθὲν διαφαίνεται γαλήνας concludere licet, etiam Graeci veteres eius modi habuerunt imagines, quamquam exempla ad nostram aetatem non manserunt. Colorem aureum Callimachus spectavit, si quidem auctor est frgm. 23. anon. Schneid. ἄνθει ἑλιχρύσοι' ἐναλίγκιος et eundem fortasse florem intellexit Verg. ecl. 7. 38 *hedera formosior alba.* Similis certe color est, de quo Ovidius scripsit am. I. 14. 11. *qualem clivosae madidis in vallibus Idae ardua derepto cortice cedrus habet.* Imago mali rubicundi Sapph. fr. 93. οἷον τὸ γλυκύμαλον ἐρεύθεται ἄκρῳ ἐπ' ὕσδῳ, ἄκρον ἐπ' ἀκροτάτῳ · λελάθοντο δὲ μαλοδρόπηες — οὐ μὰν ἐκλελάθοντ' ἀλλ' οὐκ ἐδύναντ' ἐπίκεσθαι [71]) ut Bergkius vidit a Longo III. 33. 4. soluta oratione expressa est. Etiam hoc exemplo perspicitur, quam epigoni isti parvi fuerint ingenii. Nam non solum non sensit Longus pulcritudinem ultimi imaginis versus — aliter enim non potuisset scribere: ἔδεισεν ὁ τρυγῶν ἀνελθεῖν, ἠμέλησεν ἀνελέσθαι — sed omnem imaginis suavitatem quasi abstersit, cum de suo adderet: τάχα δὲ καὶ ἐφύλαττε τὸ καλὸν μῆλον ἐρωτικῷ ποιμένι quod ineptum additamentum repugnat imagini decorae. Simili modo apud Theocritum mala adhibita sunt 7. 117. 26. 1. apud Platonem minorem 32. 1. εὕρομεν ἔνδον πορφυρέοις μήλοις ἐοικότα παῖδα Κυθήρης, apud Dioscoridem 38. Quae vero apud Theocritum est imago 20. 16. καὶ χρόα φοινίχθην ὑπὸ τὤλγεος ὡς ῥόδον ἔρσᾳ idem significat, quod in Callimachi lav. Min. 27. ὦ κῶραι, τὸ δ' ἔρευθος ἀνέδραμε, πρώϊον οἵαν ἢ ῥόδον (ἢ σίβδας κόκκος) ἔχει χροΐαν quod et eos fugit, „qui πρώιον ad ἔρευθος referebant commate ante οἵαν posito" et, qui eos refutavit, Ernestium. Nimirum etiam Romani eius modi comparationes exhibent: Verg. ecl. 5. 16. *puniceis humilis quantum saliunca rosetis, iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.* Aen. XII. 63. *aut mixta rubent ubi lilia multa alba rosa.* Lygdam. 4. 33. *et cum contexunt amarantis alba puellae lilia et autumno candida mala rubent.* Ov. am. II. 5. 37. *quale rosae fulgent inter sua lilia mixtae.* met. III. 482. *non aliter quam poma solent, quae candida parte, parte rubent, aut ut variis solet uva racemis ducere purpureum nondum matura colorem.* met. IV. 331. *hic color aprica pendentibus arbore pomis.* Mala praeterea ter inveni: Theocr. 12. 3. Megar. 56. Cat. 65. 17.

Etiam earum comparationum, quae multitudinem spectant,

---

[71]) Athenae III. 22.

magna pars a plantis repetita est, ut iam *ι* 51 *ἦλθον ἔπειθ' ὅσα φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ.* Herbas spectant Ov. her. 17. 107. *non magis illius numerari gaudia noctis, Hellespontiaci quam maris alga potest* trist. V. 6. 37. *quam multa madida celebrantur arundine fossae.* trist. V. 13. 26. *cana prius gelido desint absinthia Ponto.* Foliorum ingens numerus a Vergilio commemoratur: Aen. VI. 309. *quam multa in silvis autumni frigore primo lapsa cadunt folia.* et ab Ovidio a. am. III. 162. *raptique aetate capilli, ut borea frondes excutiente, cadunt,* met. XI. 614. *quot silva gerit frondes,* quibus subiungamus a. am. I. 57. *quot habet Methymna racemos.* ex P. IV. 15. 7. trist. V. 1. 31. Glandes sunt apud Ovidium a. am. III. 149. *sed neque ramosa numerabis in ilice glandes* ubi haud scio an Vergilii secutus sit Georg. IV. 81 *nec de concussa tantum pluit ilice glandis.* bacae apud eundem a. am. II. 516. *caerula quot bacas Palladis arbor habet.* ex P. IV. 15. 10. *quot Sicyon bacas parit,* Neque poma ab eo praetermissa sunt. met. VII. 585. *vulgus erat stratum, veluti cum putria motu poma cadunt ramis.* trist. IV. 1. 58. *(prius numerabis) poma per autumnum.* ex. P. IV. 15. 7. *quae numero tot sunt, quot in horto fertilis arvi punica sub lenta cortice grana rubent* quam novam imaginem ipse finxisse videtur, cum ceteri poetae colorem, non granorum multitudinem laudent. Denique quinquies etiam floribus in eius modi comparationibus locum dedit: a. am. III. 185. trist. IV. 1. 57. ibid V. 2. 23. Ib. 197. ex P. II. 7. 26.

Apes, Mel. Quid mirum, inter tot flores apes versari, de quibus Simonid. 47. *ὁμιλεῖ δ' ἄνθεσιν, ὦτε μέλισσα ξανθὸν μέλι μηδομένα* et Theocr. 9. 34. *γλυκυρώτερον, οὔτε μελίσσαις ἄνθεα.* Quamquam ab Hymetto mel Romam venit, tam mel Hyblaeense optimum esse plurimasque apes ibi inveniri, saepe habes: a. am. II. 517. III. 150. trist. V. 6. 38. ex P. IV. 15. 10. Apes vagantes iam Homerus exhibet B. 86. eumque secutus ter Vergilius Aen. I. 430. VI. 707. XII. 586. Apud Ovidium bis eas in imagines inductas invenies a. am. I. 95. *aut ut apes saltusque suos et olentia nactae pascua per flores et thyma summa volant.* Fast. III. 555. *diffugiunt Tyrii, quo quemque agit error, ut olim amisso dubiae rege vagantur apes.* Melles dulcedinem poetis Hebraicis haud ignotam, ab Homero bis — *Α* 2. 49. Σ 109 — laudatam, commemorant Theocr. 8. 83. *κρέσσον μελπομένω τευ ἀκούεμεν ἢ μέλι λείχειν* 20. 26. *ἐκ στομάτων δὲ ἔρρεε μοι φώνα γλυκερώτερα ἢ μέλι κηρῷ.* Mosch. 1. 3. *ὕπνου ὅτε γλυκίων μέλιτος βλεφάροισιν ἐφίζων λυσιμελὴς πεδάᾳ μαλακῷ κατὰ φάεα δέσμῳ* id. 2. 9. *ὡς μέλι φώνα.* Verg. ecl. 7. 38. ***thymo***

mihi dulcior Hyblae. Ov. tr. V. 4. 29. *o dulcior illo melle, quod in ceris Attica ponit apis.* Ceram remollescentem, quam et ipsam in carminibus hebraicis — Ps. 63 — locum habere notum est, a nostris usurpaverunt Callim. in Dem. 91. ὡς ἀελίῳ ἔνι πλαγγῶν καὶ τούτων ἔτι μεῖζον ἐτάκετο. Theocr. 2. 28. ὡς τοῦτον τὸν κηρὸν ἐγὼ σὺν δαίμονι τάκω, ὡς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφις quam imaginem — limum de suo addens — amplificatam reddidit Verg. ecl. 8. 80. *limus ut hic durescit et haec ut cera liquescit uno eodemque igni, sic noster Daphnis amore.* Asclep. Anth. Pal. V. 210 τήκομαι ὡς κηρὸς πὰρ πυρὶ κάλλος ὁρῶν. Ov. met. III. 487. *sed ut intabescere flavae igne levi cerae (solent).* ibid. 10. 284. *subsidit digitis, ceditque ut Hymettia sole cera remollescit tractataque pollice multas flectitur in facies ipsoque fit utilis usu.* ex P. I. 2. 57. *sic mea perpetuis liquefiunt pectora curis, ignibus admotis ut nova cera solet.* In Cerioclepta facete Amor comparatur apibus: 7 οὐκ ἴσος ἐσσὶ μελίσσαις; ὡς τυτθὸς μὲν ἔφυς, τὰ δὲ τραύματα ταλίκα ποιεῖς.

Insecta. Cum modo de apibus egerimus, iam ceteras comparationes de insectis agentes adiungamus. Teredo et tinea apud Ovidium sunt ex P. I. 1. 69 *estur ut occulta vitiata teredine navis.* ibid. 72. *conditus ut tineae carpiter ore liber.* Cicadam habent Homerus Γ. 151. ἀλλ' ἀγορηταὶ ἐσθλοί, τεττίγεσσιν ἐοικότες quater Theocritus. 1. 148. τέττιγος ἐπεὶ τύγα φέρτερον ᾄδεις. 4. 16. μὴ πρῶκας σιτίζεται, ὥσπερ ὁ τέττιξ. 7. 41. βάτραχος δὲ πρὸς ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω. 9. 31. τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ. Formica apud Callimachum commemoratur: fr. anon. 129. αὐτίκα καὶ μύρμων πλείονες. apud Verg. Aen. IV. 402. apud Ovidium a. am. I. 93. *ut redit itque frequens longum formicae per agmen, granifero solitum cum vehit ore cibum,* trist. I. 9. 9. *horrea formicae tendunt ad inania nunquam.* ibid. V. 6. 39. *quam multae gracili terrena sub horrea ferre limite formicae grana reperta solent, tam me circumstat densorum turba malorum.* Muscas variis imaginibus inducunt Homerus Β. 469 ἠΰτε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλά, αἵτε σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκουσιν ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει Simonides fr. 32. ὠκεῖα γάρ, οὐδὲ τανυπτερύγου μυίας οὐ τόσα μετάστασις, Callimachus fr. anon. 367. οὐδ' ὅσσον μυίης στυγερῶν ἐμπάζετο μύθων. Araneam inveni Θ 280. καθύπερθε μελαθρόφιν ἐξεκέχυντο, ἠΰτ' ἀράχνια λεπτά. Philoxen. 3. 5. μυελὸς γλυκερός, λεπτοῖς ἀράχνας ἐναλιγκίοισι πέπλοις συγκαλύπτων ὄψιν, Ov. am. I. 14. 5. *(crines erant tenues) vela colorati qualia Seres habent, vel pede quod gracili deducit aranea filum.* met. IV. 178. *non illud opus tenuissima vincant stamina, non summo quae pendet aranea tigno.*

Picem, quam quinquies apud Ovidium inveni, quater adhibuit ad nigrum colorem illustrandum, in quo secutus est Homeri *Δ*. 277. *μελάντερον ἠΰτε πίσσα.* Simpliciter picem inducit her. 17. 7. met. XII. 402. Illyricam vero picem a. am. II. 568. ex P. IV. 14. 45. His quatuor locis si de colore agitur, alia est imago met. IX. 659. *protinus ut secta piceae de cortice guttae, sic lacrimis consumpta suis Phoebeïa Byblis,* quam auctor amissae Medeae depromsit ex Euripidis Medea, ubi eandem comparationem habes 1200.

Pauperes et servi quibus imaginibus nobis ante oculos ponuntur, eas restat ut afferamus. Eius modi comparationum, in carminibus amatoriis poetarum nostrorum et iam antea apud Byzantinos usitatissimarum, in his carminibus, de quibus nunc agimus, exiguum esse numerum, mirum esse non potest iis, qui secum reputent, quam a servitii atque paupertatis vel nominibus veteres abhorruerint. Id optime nobis demonstrat Socrates Xenophonteus, qui Critiam perdite amantem vituperat, *φάσκων, ἀνελεύθερόν τι εἶναι καὶ οὐ πρέπειν ἀνδρὶ καλῷ κἀγαθῷ τὸν ἐρωμένον, ᾧ βούλεται πολλοῦ ἄξιος φαίνεσθαι, προσαιτεῖν, ὥσπερ τοὺς πτώχους, ἱκετεύοντα καὶ δεόμενον προσδοῦναι.* Itaque bis modo apud Graecos in comparationibus servum inveni: apud Asium fr. 1. *χωλός, στιγματίης, πολυγήραος, ἶσος ἀλήτῃ ἦλθεν κνισοκόλαξ* et apud Theognidem 276. *τὸν πατέρ' ἐχθαίρουσιν, καταρῶνται δ' ἀπολέσθαι καὶ στυγέουσ' ὥσπερ πτωχὸν ἐπερχόμενον.* Servas praetereundo modo tangit Euphorio fr, 165. *ἠΰτε δοῦλαι.* E latinis poetis bis Ovidius servos habet: Fast I. 137. *utque sedens primi vester prope limina tecti ianitor egressus introitusque videt.* trist. IV. 1. 5. *hoc est, cur cantet vinctus quoque compede fossor indocili numero, cum grave mollit opus: cantantis pariter, pariter data pensa trahentis fallitur ancillae decipiturque labor.* semel Catullus 63. 51. *patria, o mea genetrix, ego quam miser relinquens, dominos ut erifugae famuli solent, ad Idae tetuli nemora pedem.*

Quoniam enumerationem nostram similitudinum ad finem perduximus, restat, ut paucis exponamus, quid effecisse nobis videamur.

Ac primum quidem id apparet, imagines, quae in Homeri carminibus leguntur, quasi fundamentum esse, in quo suas comparationes posuerint aetatum posteriorum poetae. Has imagines, qui

primum adhibuerunt poetae et finxerunt, non e libris, commentariis, itinerariis de iis rebus docti erant, quas in imagines verterunt, sed in communi vitae usu cotidie viderant et eam ipsam ob causam carminibus inseruerant, quia et ipsis et aequalibus notissimae erant. Quare iure ex his comparationibus de temporibus, quibus poetae floruerint, coniecturas faciunt viri docti. Posteriores autem non ita imagines ipsi finxerunt, sed Homeri comparationibus usi sunt, et, cum eorum fuisset, nova genera reserare, eos fines, quos circumscripsit Homerus, in imaginibus adhibendis transgredi vix ausi sunt. Si quando novum quoddam genus attigerunt, tam cunctanter, tam parce eius modi imagines adhibuerunt, ut vestigiis eorum in via ab ipsis iam iam relictis nemo insisteret. Hoc est, in quo imprimis peccaverunt; non ausi sunt ex aetatum suarum vita communi imagines novas eligere, novum genus imaginum creare. An quis est, qui e comparationibus Ovidianis de cultu Romae Augusteae coniecturam facere posset? Itaque cum iterum iterumque ex iisdem generibus similitudines peterent, neque potuerunt e his quidem novum aliquid proferre, neque, si voluissent, potuissent. Mox se ipsi ita in angustias compulerunt, ut modo perceptas similitudines denuo semper adhiberent. Nimirum ubi numerus earum stabat, neque augebatur amplius, brevi spatio temporis iam in eo erat, ut minueretur. Etenim pulcherrimae modo imagines quasi tralaticiae servatae sunt, abiectae contra quae minus placerent. Vix dici opus est, quoad poetae ex ingeniorum natura patrium sermonem novare variisque modis easdem effingere sciebant, hoc non quidem laudari, sed ferri potuisse: cum vero sermo certis legibus astrictus ingenia poetarum sibi subiecisset, etiam illa voluptas legentibus evanuit nudaque regnavit Imitatio.

Quae postquam in universum de similitudinum generibus disputavimus, nunc videamus, quales in singulis imaginibus fingendis aut repetendis poetae latini — nam de Graecorum fragmentis dilaceratis equidem certi nihil proferre possum — se praebuerint. Catullus igitur quamquam inter primos litteras Graecas imitatus est et haud parva opera adlaboravit, ut formas iuste redderet, tamen haud is erat, qui a prioribus adeo penderet, ut nihil de suo formis infunderet. Imo imagines soleae muli amissae, servi erifugae, betae pendentis, statuae inauratae, nec non populi ad viam iacentis, quam imaginem ita formavit, ut genus Homericum vix agnosci possit, satis demonstrant, Catullum non ad Homeri exemplar carmina composuisse, sed iis, quae in vita ei obviam venirent, uti scivisse. Praecipue in carminibus simplicioris metri eas imagines invenias, quas ipsius esse nobis persuasum est. Quas vero a

Graecis petivit, in iis seligendis eruditi gustus poetam se praestitit, neque, quas e communi sermone electas carminibus intexuit, neglexit sed scite excoluit. Horatius, cuius non nisi carmina respicimus, non ita multas ipse invenit imagines, sed pulcherrimas, quibus Graeci poetae carmina ornarent, scite, ut erat eius ingenium, delibavit. Similitudines e vulgari sermone depromptae, licet aptissimae fuerint rei, de qua ageretur, locum vix habere potuerunt in odis elatis, in satiris epistolisque multo maiorem earum invenias numerum. Neque mirabimur, inter tot comparationes Maronis tam exiguum esse numerum earum, quas ipse finxerit, cum Vergilius — et in hac re Romanorum poetarum exemplar — *versus flammeos mortalibus non medullitus propinet,* sed ex aliorum uvis vinum suum magno labore torculet. Ceterum hic poeta ne formam quidem similitudinum industria curavit, sed — quo propius ad Homeri carmina accederet — saepius iisdem fere verbis eandem imaginem iterum induxit. Et iam eo pervenimus, ut de Tibullo dicamus, quo qui dulcius atque mollius delicias rusticorum, amantium dolores cecinerit, vix quisquam inveniatur. Sed in his describendis omnis poetica vis atque virtus Tibulli ita posita est, ut non solum si alia argumenta ei tractanda sunt, ad eas redire studeat (cf. I. 7. II. 5.) sed etiam imaginibus aliunde repetitis aliquid novi inserere carminibus suis non possit. Imo, si comparationes paucissimas, quas habet, diligentius spectamus, videmus, omnino carminibus Tibulli venusti nihil defuturum, si omittas imagines, quae aut simplicissimae sunt et e vulgari sermone depromptae, aut plane secus ceciderunt (IV. 2. 13.) Quod si ad Propertium progredimur, et ipsum haud uberrimum in comparationibus, longe aliter res se habet. Nam pro universo comparationum suarum numero satis multas ipse sibi finxit et, quas ex aliorum divitiis depromsit, eleganter mutavit. Neque apud eum multas simplices imagines invenias, neque quae primo statim aspectu placere possint. Etenim ut in tota poesi, ita etiam in hac singulari parte Propertius, qui sicuti — quem imitatus est — Callimachus, σικχαίνει πάντα τὰ δημόσια, mel lectoribus offerre studuit, at mel subausterum. Ovidius, ut tale quid spectaret eamque ob causam raro quaesitas imagines adhiberet, tantum aberat, ut vix sibi ipsi satisfacere potuisse videatur in imaginibus semper denuo proferendis. Quare et ipse imagines finxit et ex aliorum carminibus, e philosophorum dialogis, e vulgari sermone deprompsit, ut ingenium et memoria eum duxerunt. Nec solum multitudine comparationum, verum etium varietate multiplici formarum, quibus imagines profert, suavissime animos nostros

permulcet. Qui vero credunt, eum inter libros aliorum poetarum sedentem imagines conquissivisse et bibliothecam suam pervestigasse, ut e duorum vel trium scriptorum locis comparationem contaminaret tripartitam, vereor, ne parum perspexerint indolem poetae, cui, *quidquid temptabat dicere, versus erat.* Nobis Ovidius in similitudinibus, ut in omni poesi, est poeta nativa arte et gustu insito magis pollens, quam studio et doctrina, ut verbo dicam, poeta consentaneus aetati, quae postulavit, ut non prodessent poetae, sed modo delectarent.

Vita.

Natus sum Carolus Hermannus Müller die vicesimo nono mensis Julii 1861 Rastadiae Badeniae patre Hermanno, matre Anna e gente Brugier, quae ante hos quinque annos mortua est. Sub auctumnum anni 1866 parentes mei domicilium suum Hannoveram transtulerunt, ubi primas litteras didici. Ineunte anno 1870 cum parentibus Magdeburgiam migravi ibique gymnasium regium cathedrale frequentavi. Examine maturitatis, quod dicitur, feliciter superato primum mense Octobri 1880 universitatem Herbipolensem adii et ordini philosophico adscriptus per duo semestria ibi versatus sum. Deinde Friburgiam Brisgaviae me contuli ibique militari officio satisfeci. Tum Berolinum profectus per quattuor semestria scholis interfui Mommseni, Curtii, Kirchhoffii, Vahleni, Zelleri, Schereri nec non interfui exercitationibus philologicis Maassii, cuius erga me benivolentiam grato animo servabo. Initio semestris aestivalis 1885 Gottingam veni ibique audivi et Mauritium Heyne et Udalricum de Wilamowitz-Möllendorf, quo duce ac benigno adiutore hanc dissertationem conscripsi.